Bericht

über das

Königl. Dom-Gymnasium zu Magdeburg

von

Ostern 1868 bis Ostern 1869,

womit

zu der auf Donnerstag und Freitag, den 18. und 19. März,

festgesetzten

öffentlichen Prüfung

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet

der Director

Dr. George Wichert.

Inhalt: 1. De Plinii minoris elocutione disputatio altera. Scripsit Hugo Holstein.
2. Schulnachrichten vom Director.



Magdeburg.

Druck der Königl. Hofbuchdruckerei von C. Friese.

1869.

Argenteae latinitatis quam dicunt scriptorum suo quemque dicendi genere usum esse constat, cum et ex Cicerone Caesare Livio et e poetarum in primis Augusteae aetatis libris petierint, et nova verba subtiliter ingenioseque excogitata in Latinam linguam induxerint, et voces locutionesque, quamvis ante in usu essent, tamen amplificaverint novaque vi ac significatione ornaverint, et voces cum uno pluribusve scriptoribus eiusdem temporis communes usurpaverint. nec vero facile atque expeditum negotium est has proprietates unius cuiusque scriptoris ita complecti, ut, quasi in conspectu positis eis quae ab optimorum scriptorum sermone videantur recedere, satis adpareat quo modo scriptores illi inter se differant. quae cum ita sint, opus eis quas demonstravi rationibus susceptum nisi paulatim temporisque spatio interiecto confici non posse, is qui in hoc genere litterarum Latinarum aliqua ex parte versatus est haud ignorat. qua in re quem locum teneat Plinius minor inter scriptores Augusto posteriores, iam demonstrare conatus sum in priore disputatione [1]), in qua eas voces locutionesque collegi, quarum Plinius auctor videtur esse et quae ei cum scriptoribus vel eiusdem vel posterioris temporis communes sunt, eas autem quas e poetarum in primis temporis Augusti consuetudine petiit, exceptis iis quae ad v. *secretum sidus* (p. 14), *altus* (p. 16), *enodis famosus gracilis* (p. 18) de usu Pliniano cum poetis communi adposui, spatii angustiis coactus omisi et quae olim omiseram ea hoc loco adiciam. tenendum autem est, Plinium semper fere ostentationis speciem prae se ferentem id egisse ut cum multa tum poetarum carmina legisse ac pervolutasse diceretur. hoc enim crimine qui Plinium ab adversariorum vituperatione defendere studebant eum absolvere non potuerunt. accedit quod ostentationis studium laudisque cupiditas non solum gravissima dignitate qua munere amplissimo functus

---

[1]) De Plinii minoris elocutione. Numburgi 1862.

est sed etiam Traiani et hominum optimis litteris eruditissimorum usu et familiaritate magnopere augebantur. neque igitur mirum videtur, Plinium poetarum excellentissimorum quasi flores decerpere studuisse, quo magis ingenii praestantia doctrinaeque varietate emineret. sed ne nimii videamur in iudicando, Plinium ipsum audiamus de suo dicendi genere disserentem. in libri tertii epistula duodevicesima ad Curium Severum missa dilucide de causis exposuit, cur in panegyrico laetior quidam stilus inveniretur, cum ea potius quae pressius et adstrictius quam illa quae hilarius et quasi exsultantius scripsisset possent videri arcessita et inducta. id quod et in non nullis epistulis factum esse non difficile est testimoniis confirmare. at vero aliter iudicat de Cicerone, quem tamquam summum exemplum ad imitandum sibi proposuerat: I 5, 12 (edit. Keil.) *est enim mihi cum Cicerone aemulatio nec sum contentus eloquentia saeculi nostri*, qui locus Plinium illud maxime secutum esse testatur, ut a dicendi genere scriptorum aequalium, quibus veterum simplicitas tristis ac ieiuna videretur, vehementer abhorreret poeticumque sermonem sententiis acutissimis et splendido quodam nitore ornatum evitaret. sed quo modo tale consilium in hac re consecutus sit, ex una quaque fere epistula adparet nec se multis de causis Ciceronem adsequi posse ipse fatetur IX 2, 2. permultum enim ab illa aetatis suae, ut verbo Pliniano utar, eloquentia mutuatus neque puram incorruptamque dicendi consuetudinem, qua Quintilianus Plinius maior Suetonius alii discesserant, poterat retinere, neque ut scriptores illi quos modo enumeravimus poetarum sermonem aspernabatur, quem in primis Vergilius in usum scriptorum Plinio aequalium videtur introduxisse. accedit quod ingens poetarum chorus, quorum maxima pars nihil aliud quam versus faciebat, litteras Latinas quasi perturbabat. nisi forte eos excipis quibus Plinius summam laudem tribuit. quo in numero Pompeius Saturninus habendus est, qui ut ait Plinius I 16, 5 *facit versus quales Catullus aut Calvus, revera quales Catullus aut Calvus.* [2]) hunc sequitur Titinius Capito qui I 17, 3 clarissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exornaverat quemque Plinius VIII 12, 1 virum optimum dixit et inter praecipua saeculi ornamenta numerandum. his adiungendus est Octavius,[3]) quem in libri secundi epistula decima adhortatus est ut carmina sua in vulgus ederet, quae versi simile est generis epici fuisse. tum Vestri-

---

[2]) Hoc loco lectionem a G. Cortio ex Arnzeniano codice prolatam atque ab Henrico Keilio de Plinii epistulis emendandis I p. 14 ex usu Pliniano restitutam comprobandam esse puto.

[3]) Sunt qui hunc Octavium et Octavium Rufum ad quem epistula septima libri primi scripta est eundem esse velint. sed quaeritur num recte hoc statui possit. etsi enim Octavius ille Rufus, qui a Plinio petierat ut Gallum a Baeticis accusatum defenderet, videtur versibus conficiendis operam navasse — id quod demonstrant verba Plinii I 7, 5: „cur enim non usquequaque Homericis versibus agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris, quorum tanta cupiditate ardeo ut videar mihi hac sola mercede posse corrumpi ut vel contra Baeticos adsim" —, tamen nos offendit quod epistula illa quam diximus non ad Octavium sed ad Octavium Rufum, altera autem quae est libri secundi decima ad Octavium scripta est. non est cur Octavium fuisse eundem existimemus. idem statuendum est, si ep. IX 38, 1 Rufi cuiusdam liber omnibus numeris absolutus laudatur, quia non sine aliqua dubitatione videmur explorare posse, utrum Octavium Rufum an alium per Rufum intellegi voluerit Plinius.

cius Spurinna vir cum laude bellica tum morum integritate insignis commemorandus est quem III 1, 7 Plinius dicit utraque lingua lyrica doctissima scripsisse.[4]) de Silio Proculo, qui III 15, 1 a Plinio petierat ut examinaret num carmina sua digna essent quae in lucem proferrentur, nihil constat. Arrius autem Antoninus IV 3, 4 iambos epigrammataque Graeca confecerat et Sentius Augurinus Plinium carminibus celebraverat argumentumque sibi tractandum sumpserat quod patronus „interdum versibus ludit" IV 27, 3. accedunt Calpurnius Piso qui V 17, 2 „recitabat καταστερισμῶν eruditam sane luculentamque materiam . . . scripta elegis erat fluentibus et teneris et enodibus" et Passennus Paullus, qui VI 15, 1 „elegos scribit", IX 22, 1 „in litteris veteres aemulatur exprimit reddit, in primis Propertium, a quo genus ducit . . nuper ad lyrica deflexit in quibus ita Horatium ut in illis illum alterum effingit." seriem horum poetarum concludunt Vergilius Romanus scriptor mimiamborum comoediarum Menandrum aliosque eiusdem aetatis aemulatus (VI 21, 4) et Caninius Rufus quem Plinius VIII 4, 1 hortatus erat ut bella a Traiano contra Dacos confecta Graecis versibus describeret utque IX 35, 1 aliud argumentum dignum laetissimo altissimo planeque poetico ingenio tractandum sibi sumeret, ubi intellegenda sunt mira de delphino illo qui officium et amorem pueri Hipponensis morte luisse dicitur.[5])

Horum poetarum, si poetae nominandi sunt, ac non versificatores, opera ingeniique monimenta temporum iniquitate nobis amissa esse eo magis dolemus, quod si Plinii iudicium sequimur omnes fere ad carmina condenda nati poetica quadam virtute videntur floruisse. sed cave ne in errorem incidas. plerique enim eam ob causam a Plinio summa laude adfecti sunt, quia ipsum in carminibus laude exornaverant. neque igitur mirum videtur quod Plinius iisdem fere verbis eos tumida quadam circumtulit praedicatione, ita ut nobis stomachum fere faciant epistulae blanditiis adsentationibusque turgentes. conferas velim quae Plinius ad Arrium Antoninum IV 3, 4 sqq., quae de Sentio Augurino ad Pompeium Falconem IV 27, 1 et 5; ad Sentium Augurinum ipsum IX 8, 1; quae de Vestricio Spurinna ad Calvisium III 1, 7: de Vergilio Romano ad Caninium VI 21, 2 et 4; de Passenno Paullo ad Romanum VI 15, 1 et ad Severum IX 22, 1 scripsit. unde efficitur, quam consideratissime in diiudi-

[4]) Carmina illa quattuor quae Casp. Barthio auctore I. C. Wernsdorfius olim Vestricio Spurinnae adscripserat cum Iul. Heldio „über den Werth der Briefsammlung des jüngeren Plinius in Bezug auf Geschichte der Römischen Litteratur", Bresl. 1833. p. 29 spuria et a monacho quodam profecta esse iudico.

[5]) Nec vero constat materiam narratam Caninium carmini praebuisse neque ex eis verbis quae scripsit Plinius VIII 4, 5: „immitte rudentes, pande vela, ac si quando alias, toto ingenio vehere" I. Heldius p. 19 recte collegisse mihi videtur, Caninium iam aut carmen illud de quo agitur confecisse aut recitasse, cum poeta quem excellentissimo ingenio ornatum litterarumque in primis poesis studiosissimum fuisse scimus, aliud argumentum qualecunque esset tractandum sibi sumpsisse putandus sit. sed hoc loco quasi praeteriens moneo I. M. Gesnerum a Plinio excitatum ut illud sumeret argumentum carminis, quo honorem haberet veteri suo et litterarum omnium in Vinariensi aula patrono, carmen illud epistularum Plinianarum editioni ab ipso institutae addidisse.

candis illorum virorum erga litteras Romanas meritis Plinii dicta nobis expendenda esse. quae cum inconsiderate expensa essent, factum est ut qui Plinium ad diiudicandos illos viros permultum valere iubebant eius sententiis nimiam vim tribuerent. sed primum tenendum est Plinium ea quae sentiebat de illis viris non ut Quintilianum Suetonium alios doctae cuidam disputationi sed epistulis, quae a dicendi genere ad leges et praecepta artis adstricto solent abhorrere, inseruisse ipsumque discrimen aliquod in vario genere scribendi constituisse. ad Tacitum enim VI 18, 22 scripsit haec verba: *aliud est epistulam aliud historiam, aliud amico aliud omnibus scribere.* quibuscum non dissentire puto ea quae Fusco praecepit Plinius VII 9, 8 *volo epistulam diligentius scribas, nam . . . pressus sermo purusque ex epistulis petitur.* accedit quod Plinius omnes fere illos viros quos supra commemoravimus solet laudare in epistulis quas aut ad eos ipsos aut ad alios eo animo scripsit ut illos commendaret vel ut de morte eorum amicos faceret certiores. sed eandem diligentiam quam in omnibus rebus plurimum valere constat adhibendam esse iudico, si quaeritur quale fuerit Plinii studium in arte poetica exercenda consumptum. cum enim Plinii aetate hominis urbani esset artem poeticam attingere, id quod recitationibus quae dicuntur ab Asinio Pollione institutis admodum amplificabatur: fieri non potuit quin Plinius ab acervo adsentatorum circumventus mori ab aequalibus recepto indulgeret, quo maiore benignitate poetarum ut Antonii Saturnini, Arrii Antonini, Martialis aliorum ingenia fovisse inque eorum consuetudinem penitus sese immersisse diceretur. sed ipsum loquentem audiamus: *poeticen ipsam religiosissime veneror* III 15, 2; *numquam a poetice alienus fui, quin etiam quattuordecim natus annos Graecam tragoediam scripsi . . mox cum e militia rediens in Icaria insula ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque feci. expertus sum me aliquando et heroo, hendecasyllabis nunc primum* VII 4, 2 sqq. deinde cum Pontio non nullos versus communicat (VII 4, 6), cui loco I. M. Gesnerus acute haec verba addidit: „quacunque alia in re imitatus esses Tullium, Secunde. sed hoc quidem adsecutus es, ut non minus male processisse tibi carmen sciamus, quam tuo archetypo." constat enim Ciceronem in hoc quoque genere antesignanum et ducem Plinii fuisse, quem ad modum fuit in aliis exercitationibus dicendi. ad Fuscum enim Plinius VII 9, 2 scribit utile esse in primis vel ex Graeco sermone in Latinum vel ex Latino vertere in Graecum, id quod a Cicerone quoque factum esse memoriae proditum est. neque ab his studiis Plinius abhorruit, cum epigrammata Arrii Antonini — cuius versus quam boni essent expertus erat V 15 (10), 1 — Latine eum aemulatum esse et expressisse constet (IV 18, 1). sed cuius modi erant carmina illa, quibus conficiendis Plinius operam dedit? quod potissimum poesis genus coluit? hendecasyllabos ipse multis epistularum locis versus suos adpellavit, quem titulum sola metri lege constringi dicit IV 14, 8. sed lusus Pliniani, ut pauca specimina nobis ab ipso relicta (VII 4, 6. 9, 11) probant, nil videntur fuisse nisi inanes aliorum imitationes, quibus laudem ac plausum eorum sibi conciliare studebat, qui 'ex admiratione ingenii' fautorem solebant convenire. etsi enim ipse ingenio parum fidebat (VIII 21, 4), tamen vehementer cupiebat, ut a posteris non solum virtus sua oratoria sed etiam studium a

se in conficiendis versibus collocatum comprobaretur (IX 14, 1), quin etiam aeque ac Tacitum se dignum fore sperans, cuius memoria ad posteritatem perveniret, summa cupiditate gloriae ac laudis flagrabat. id quod multis epistularum locis confirmari potest, in quibus auctor gloriam non tam virtute bellica quam litterarum ornamento vel humanitatis splendore et beneficentia partam praecipua laude fert. exclamat Plinius III 21, 6: *quid homini potest dari maius quam gloria et laus et aeternitas?* in libri quinti epistula octava haec scripsit Plinius: *mihi pulchrum in primis videtur non pati occidere quibus aeternitas debeatur aliorumque famam cum sua extendere,* et in libri noni epistula tertia ad Paulinum missa: *ego beatissimum existimo qui bonae mansuraeque famae praesumptione perfruitur certusque posteritatis cum futura gloria vivit.* nec vero dubitari potest quin hoc studium si ex animo impuro oriatur vituperatione potius quam laude dignum sit, id quod nescio an in Plinium cadat, qui Taciti amicitia atque familiaritate ad amplificandum suum ipsius honorem videtur usus esse, cum eum rogaret ut historiis suis quas immortales futuras esse auguraretur orationem quandam causidicam insereret (VII 33, 1).[6]) quod idem Ciceronem quidem incredibili cupiditate ardentem ut ipsius nomen illustraretur et celebraretur L. Lucceii scriptis fecisse constat ex epistula ad illum missa (ad fam. V 12), in qua Lucceium rerum scriptorem rogabat ut de rebus in consulatu ab ipso gestis et de exilio redituque singularem separatumque librum conficeret. sed redeamus ad propositum. dolendum est nos ignorare 'quam dulcia, quam amantia, quam arguta' Plinii carmina fuerint quae Calpurnia uxor cantavit formavitque cithara (IV 19, 4), quibus ille in vehiculo, in balineo, inter cenam oblectat otium temporis (IV 14, 2). prospera, opinor, fortuna factum est ne haec otii oblectamenta

[6]) Quaerentibus nobis quae necessitudo inter Tacitum et Plinium intercessisse putanda sit, ex epistulis ad Tacitum missis duae illae (VI 16 et 20) occurrunt, in quibus Plinius rogatus de exitu avunculi hominis ex iis qui eo tempore erant doctissimi narravit eaque exposuit quae ipse ex Vesuvii incendio cum matre Miseni pertulisset. cum ex his epistulis, quae sane gravissimis monimentis ex antiquitatis opibus relictis adnumerandae sunt, tum ex reliquis epistulis (I 6. 20. IV 13. VI 9. VII 20. 33. VIII 7. IX 10. 14) adparet summa amicitia ac familiaritate utrumque coniunctum fuisse, quae communi litterarum studio videtur aucta esse. quamvis igitur dubitare non possimus, quin Plinius cum eos libros quos Tacitus aetate paulo provectior iam in lucem protulerat — historiarum libri intra annum nonagesimum octavum et annum centesimum quintum et decimum recitati et in vulgus editi sunt — tum Taciteam elocutionem quam imitari ei licebat accurate noverit, tamen paucissima exstant e quibus colligere licet quantum valuerit Tacitea loquendi ratio ad Plinium, quam rem eo magis miramur quod Plinius, cum ipse in litterarum studiis versaretur, diligenter Taciti artem quam vocant explorasse iudicandus est. huc pertinent ea verba quae Germ. 7 leguntur: „unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium." iisdem fere verbis Plinius in ea quam de Vesuvii conflagratione ad Tacitum scripsit epistula (VI 20, 14): „audires ululatus feminarum, infantium quiritatus." quibus verbis veri simile est Plinium Taciti loquendi rationem voluisse imitari. neque enim licet suspicari, Tacitum ex Plinii epistula ea verba deprompsisse, cum epistularum librum sextum anno demum centesimo sexto, octo igitur annis post quam Germaniae liber conscriptus est, in lucem editum esse constet. quod praeterea Plinius ep. IX 10, 2: „inter nemora et lucos" dixit, rursus Taciti memoriam videtur voluisse retinere. is enim illis verbis saepe utitur, cf. dial. 9. 12. Germ. 9. 10. 45; quos locos Woelfflinus Philol. XXVI p. 121 attulit. deinde commemorandum est ea quae dixi verba item in epistula ad Tacitum data inveniri.

nimia essent, nam negotiorum publicorum multitudine occupatus et districtus Plinius a litteris abstrahebatur, ut libri noni epistula vicesima quinta ad Mamilianum data probari licet, cui novos versiculos se missurum promittit: *nunc me rerum actus modice sed tamen distringit, quo finito aliquid earundem Camoenarum in istum benignissimum sinum mittam.* paulo ante haec scripserat: *lusus et ineptias nostras legis, amas, flagitas meque ad similia condenda non mediocriter incitas.* ut hic Plinius ipse ad carmina scribenda incitatus est, sic alio loco (V 10 [11], 1) Suetonium Tranquillum hortatus est ut scripta sua in lucem ederet, cum ipse eorum spem hendecasyllabis fecisset. nec Titio Aristoni irascitur *quod me celandum non putasti fuisse apud te de versiculis meis multum copiosumque sermonem* (V 3, 1). maxime autem memorabilis est epistula illa libri septimi quarta ad Pontium missa, in qua satis accurate Plinius exponit qua ratione studiis poeticis diu intermissis ad carmina conficienda animum adplicuerit. narrat enim in legendis Asinii Galli de comparatione patris et Ciceronis libris sese incidisse in Ciceronis in Tironem suum epigramma. deinde cum meridie dormiturus se recepisset nec obrepisset somnus, coepisse se reputare maximos oratores illud studii genus et in oblectationibus habuisse et in laude posuisse. sic factum esse ut id ipsum quo ad scribendum incitatus esset versibus exararet. tum sequuntur tredecim de Ciceronis poematis hexametri qui versificatoris magis quam poetae speciem praebent. deinde narrat se ad elegos transisse, iambos [7]) addidisse . . . postremo, ut ipsius Plinii verba adferam, *placuit exemplo multorum unum separatim hendecasyllaborum volumen absolvere*, cui nescio an ea inserta fuerint quae de eodem argumento quo Sentius Augurinus (IV 27, 3) composuerat. ut autem summam faciamus, id unum constat, Plinium et vertendis in Latinum sermonem Arrii Antonini epigrammatis et conficiendis carminibus operam navasse, quae cum ederet hendecasyllaborum nomine ornavit. num unum modo hendecasyllaborum volumen in vulgus ediderit parum liquet, quamvis ex non nullis libri octavi et noni epistulis videatur effici posse Plinium alterum carminum volumen si minus foras dedisse at certe recitasse eiusque editionem praeparasse.[8]) praeterea versus aliquot observari licet, quos Plinius per imprudentiam, ut Ciceronis verbo (or. 56, 189) utar, et Quintiliano magistro adversante in oratione dixit: versum enim dactylicum hexametrum legimus V 15, 4 *una diligimus, una dileximus omnes* et versum phalaecium VI 9, 1 *commendas mihi Iulium Nasonem.*

Restat ut de tempore quo Plinius carmina sua videtur in lucem protulisse non nulla

[7]) Sic Theod. Mommsen Hermes III p. 105 legi mavult pro „alios" ad Tac. dial. 10: „ego vero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et venerabiles puto, nec solum cothurnum vestrum aut heroici carminis solum, sed lyricorum quoque iucunditatem et elegorum lascivias et iamborum amaritudinem . . anteponendam ceteris aliarum studiis credo" nos revocans.

[8]) Haec confirmantur eleganti Theod. Mommseni coniectura IX 16, 2: „poemata crescunt" pro vulg. „p. quiescunt" legentis. cf. Hermes III p. 105.

addamus, quae egregia atque ingeniosa Theodori Mommseni [9]) disputatione luculentissime explicata sunt. qui cum epistularum libros paulatim a Plinio editos esse demonstraturus esset, rebus e temporum ratione quasi in conspectu propositis, quae est eius subtilitas, accurate docuit quo tempore unus quisque epistularum liber conscriptus et emissus sit. ex hac autem computatione adparet, cum primus secundus tertius liber, qui libri inde ab anno nonagesimo septimo usque ad annum centesimum primum editi sunt, Plinium non poetam sed artis poeticae amantissimum poetarumque patronum describant, in illis autem libris qui tertium sequuntur versus et carmina commemorentur, Plinium provectiore iam aetate ad carmina edenda adgressum esse. accedit quod ex iis, ad quos Plinius epistolas dare consuerat, multi erant qui et mirarentur quod non orationem aliquam sed carmina accepissent (IV 14. 10) et scripta quidem non improbarent, eum tamen amice simpliciterque reprehenderent quod illa scripsisset recitassetque (V 3, 1).

Iam accedimus ad percensendos eos poetas Latinos quos Plinius in epistulis suis commemoravit. omissis Ennio Plauto Terentio, quorum tribus epistularum locis (I 16, 6. V 3, 6. VI 24, 4) mentio fit, Lucretium Catullum Vergilium Horatium Propertium Silium Martialem nominabo. ut autem ab iis qui eiusdem aetatis erant initium capiam, Caninio Rufo de morte Silii Italici, qui carmina maiore cura quam ingenio scribebat quemque anno p. Chr. centesimo primo mortuum esse nuperrime accuratissima Theod. Mommseni [10]) argumentatione demonstratum est, Plinius tradidit III 7, 1 sqq. Valeriumque Martialem, quem viatico secedentem prosecutus erat, hominem ingeniosum acutum acrem dicit amicissimumque mortuum esse dolet III 21, 1 sqq. deinde postquam ei plurimum in scribendo et salis et fellis nec candoris minus fuisse iudicavit, versus a Martiale (epigr. X 19) in se compositos adfert, quos laeto animo cum Cornelio Prisco videtur communicasse. [11]) inter prioris autem temporis poetas Catullo et Vergilio Plinius summos tribuit honores, nam et Lucretii et Horatii uno tantum loco mentionem fecit: IV 18, 1 ubi Lucretiana voce *patrii sermonis egestas* (I 832) usus est et IX 22, 2 ubi Passennum Paullum Horatii imitatorem dixit. ibidem et VI 15, 1 Propertius non solum inter Passenni Paulli maiores sed etiam inter eos poetas numeratur quos splendidus ille eques Romanus imitari studebat. summum vero locum Catullus atque Vergilius tenent, quorum utrumque maxime admirabatur. IX 25, 3 Mamiliano passerculos et columbulos misit i. e. carmina in quibus Catulli Passerem et Stellae Columbam imitari conatus est, atque IV 14, 5 a Plinio versus quidam Catulliani adferuntur, quibus poetae leges dantur. Vergilium autem summa veneratione commemoravit Plinius in ea quam de Silii Italici morte

---

[9]) Zur Lebensgeschichte des jüngeren Plinius, Hermes III p. 31 — 139.

[10]) Hermes III p. 43.

[11]) Et Martialem quoque anno p. Chr. uno et centesimo diem supremum obisse certioribus quam adhuc fieri poterat argumentis eiusdem Mommseni disputatione docemur. cf. Hermes III p. 43. 120 sqq.

scripsit epistula, in qua poetam Vergilii imaginem maxime veneratum eiusque monimentum Neapoli constitutum adire ut templum solitum esse dicit (III 7, 8). deinde Vergilium V 3, 6 longae 'auctorum' seriei adnumeravit quos ut altiorem stilum adfectaret ipse sequebatur, neque exiguum ordinis locum ei tribuit. ut enim Vergilium facile principem poetarum Latinorum omnes fere scriptores posterioris temporis tamquam exemplum suum ad imitandum sibi proposuerunt, sic Plinius multis epistularum et panegyrici Traiano dicti locis non solum accuratissime in Vergiliani sermonis familiaritatem sese insinuasse demonstravit, sed aliquoties etiam eius versibus pro suis usus est: I 2, 2 *pauci quos aequus amavit* ex aen. VI 128 petita sunt, ubi proverbii formam Vergiliano a Plinio datam esse I. M. Gesnerus recte adnotavit, quo factum est ut *Iupiter* in extremo Vergilii versu supprimeretur, sicuti V 6 44 *ut parva magnis* (ubi *componamus* e Verg. ecl. I 23 *sic parvis componere magna solebam* addendum est) et IX 1, 3 οὐχ ὁσίη [φθιμένοισιν] ex Hom. χ 412 in proverbii consuetudinem venerant. sed moneo eo quem primo laudavi loco Vergilii verba in Vaticano codice abesse ac Mediceum et Vaticanum codicem *qui* pro *adsequi* habere. alter locus ubi e Verg. aen. II 12 verba adlata sunt *quamquam animus meminisse horret . . incipiam* legitur VI 20, 1; tertius exstat VI 33, 1 ex aen. VIII 439, quartus ex aen. VI 105 desumptus exstat IX 13, 12 quae verba Plinius in senatu profert. accedunt VII 20, 4 *longo sed proximus intervallo* ex aen. V 320 et V 8, 3 ex georg. III 8 *victorque virum volitare per ora* hausta, quae verba sequitur elegans aposiopesis ex aen. V 195 *quamquam o!* restat denique ut commemoremus ea verba quae exstant VIII 2, 3 *ne quis mihi non donatus abiret* ex Verg. aen. V 305 desumpta videri. de Homericis quae longum est enumerare eodem modo iudicandum est, ita ut Plinium poetarum notitiam iactasse existimemus. hinc ortum est poetarum optimorum quasi flores decerpendi studium, quod a posterioris temporis scriptoribus haud alienum fuisse constat. neque enim solum e libris poetarum aequalium sed etiam e poetarum qui Augustea aetate florebant libris voces locutionesque petierunt, ut discrimen quod intercedat inter scriptores orationis solutae et poetas plane fere tolli videatur. quo magis igitur intellegi possit quantum valuerit poetarum sermo ad scriptorum elocutionem conformandam, diligenter expendendum videtur, quid scriptores e poetarum et priorum et aetate supparum usu et familiaritate hauserint. neque enim satis est codices et libros manu scriptos inspexisse, sed veterum etiam testimonia auctores imitatores consulendi sunt, cum de critico adparatu quam perfectissimo agitur. quod si vero testimonia et imitatores pauca habent quae possis decerpere, auctores quorum elocutionem alius quispiam secutus suum ipsius genus dicendi conformavit ante omnia in consilium vocandi sunt. qua in re postquam cum aliorum tum diligentissima Ed. Woelfflini[12]) atque A. Draegeri[13]) opera ad Taciti elocutionem accurate explorandam ac

[12]) Jahresbericht über Tacitus. Philol. XXV p. 92 sqq. XXVI p. 92 sqq.

[13]) Ueber Syntax und Stil des Tacitus. Leipz. 1868.

pervestigandam via munita est, horum virorum doctissimorum exemplum eos secuturos esse spero, qui hanc Latinarum litterarum partem, quam tot tantisque difficultatibus obstrictam teneri constat, quanta maxima diligentia fieri possit, expolitam esse velint. nam multa supersunt quae virorum doctorum ingenium et acumen hac in re possint exercere. restat quidem, ut Ed. Woelfflinus quoque observavit, interpretatio Livii e Vergilianis exemplis petita, nam ab O. Ribbeckio viro de Vergilii carminibus emendandis optime merito quamquam in indice editioni maiori adiuncto non solum ea quae Vergilius ex veterum poetarum libris videtur hausisse verum ea etiam enumerata sunt in quibus et poetae et scriptores quidam Vergilium tamquam auctorem suum videntur secuti esse, tamen, ut natura magni et operosi laboris fert, non omnia satis explorata sunt. huc accedit quod ea quoque observanda sunt quae ad usum syntacticum pertinent, nam argenteae latinitatis scriptores saepe ab optimorum scriptorum consuetudine abhorruisse constat. ut autem ad Plinium redeamus, hoc loco eas loquendi formulas breviter enumerabimus quae cum vulgari usu dissentientes poeticum quendam sermonem Plinii demonstrant. quo in genere eae loquendi formulae numerandae sunt, in quibus neutrius generis adiectivum et singulari et plurali numero substantivi loco ponitur, quem usum Ciceroni et Caesari minus probatum post poetas Livius et posterioris aetatis scriptores sibi vindicaverunt. singulari autem numero haec adiectiva a Plinio usurpata sunt: ep. III 3, 4 *in hoc lubrico aetatis* (cf. Tac. ann. I 65 *lubrico paludum*. VI 49 *lubricum iuventae*, hist. I 79 *lubrico itinerum)*, pan. 39, 5 *hoc necessitudinis abruptum*, et plurali numero I 3, 4 *reliqua rerum tuarum*, III 19, 4 *incerta fortunae* (cf. Liv. XXX 15, 4 *ad incerta fortunae*, 30, 11 *incerta casuum* et plura de Liviano usu a consuetudine Ciceronis recedente apud E. F. Popponem „de latinitate falso aut merito suspecta" I p. 3 [Francof. ad Viad. 1841] invenies, Tac. ann. III 54 *per incerta maris et tempestatum)*, VIII 4, 2 *insessa castris montium abrupta*, pan. 30, 4 *intra usurpata collium*. poetas hanc structuram in deliciis habere constat, maxime Lucretium[14]) Vergilium Horatium[15]). deinde Plinius more poetarum Graecos imitantium quaedam adiectiva aliquam rei adfectionem significantia cum genetivo substantivi coniungit, ut capax I 27, 7 *capacissima secreti uxor*, II 13, 10 *cuius* (amicitiae) *esse eum usque ad intimam familiaritatem capacem*, [Trai.] ad Trai. 50 (59) *c. dedicationis*, vox post Ovid. met. I 176 *capax altae mentis* scriptoribus Augusto posterioribus admodum frequentata; certus VI 16, 12 *certus fugae*, IX 3, 1 *certus posteritatis*, pan. 16, 2 *certum triumphi* (cf. Verg. aen. III 554 *certus eundi*, Sil. VI 27 *certus necis*, Tac. ann. XII 32 *destinationis certus*, ib. 66 *sceleris olim certa*, XIV 36 *certus eventus Suetonius*, quos Taciteos locos eis quos A. Draegerus l. l. p. 28 laudavit velim adicias); ferax II 17, 15 *arborum illa vel maxime ferax terra*, VIII 20, 2 *quaelibet miraculorum ferax commen-*

---

[14]) Cf. R. Bouterweck de Lucretii codice Victoriano. Hal. 1865. p. 17. F. W. Holtze syntaxis Lucretianae lineamenta. Lips. 1868. p. 49.

[15]) G. Ebeling de casuum usu Horatiano. Wernig. 1866. p. 19.

datrixque terra, ut apud Ovid. met. VII 470. Hor. epod. V, 22. sed ablativum quoque post Ovid. am. II 16, 7 et Verg. georg. II 222 invenies apud Plinium IV 15, 8 *ferax saeculum bonis artibus;* miser pan. 58, 5 *miser ambitionis* (cf. Hor. sat. II 2, 66 *in neutram partem cultus miser,* quem genetivum utrimque suspensum esse Guil. Dillenburgerus ad h. l. dixit; Stat. Theb. IV 403 *miseri morum);* parcus [Trai.] ad Trai. 9 (25) *honorum parcissimus,* cf. Hor. sat. II 2, 62. 5, 79. Lucan. IX 590. Sil. X 30. quod adiectivum Plinius addita praepositione coniunxit cum casu sexto I 22, 4 *quam parcus in victu,* ad Trai. 26 (11), 2. pan. 3, 3; securus pan. 18, 2 *offensae gratiaeque pariter securi,* 71, 4 *securus magnitudinis suae* (cf. Verg. aen. I 350. X 326 *securus amorum,* VII 304 *pelagi,* Hor. ep. II 2, 17 *curae,* Tac. ann. III 28 *potentiae,* hist. I 86 *casuum* et A. Draeger. l. l. p. 28); tenax ad Trai. 7 (12) *memoriae tuae quae est bene faciendi tenacissima,* ib. 85 (17) *disciplinae tenacissimum,* ut apud Verg. aen. IV 188 *ficti pravique tenax,* Hor. od. III 3, 1 *propositi tenax,* Ovid. met. X 405 al. his adiungenda sunt ea adiectiva quae quamvis in poetarum libris non inveniantur tamen a Plinio poetarum morem sequente cum genetivo coniuncta sunt: fugitivus IX 28, 4 *rei familiaris,* incuriosus VIII 20, 1 *proximorum,* qua voce usus Plinius Tacitum huius adiectivi amantissimum videtur imitatus esse; irreverens VIII 21, 3 *operis.* postremo poeticus quidam usus Plinio familiaris cernitur in quorundam adiectivorum et verborum cum infinitivo coniunctione, quam non reperiri constat nisi apud poetas et argenteae latinitatis scriptores qui poetarum consuetudinem secuti esse iudicantur. ac de adiectivis quidem hoc dicendum est. contentus post Ovid. met. I 461. II 637 a posterioris temporis scriptoribus cum infinitivo coniunctum est. apud Plinium autem legitur pan. 15, 2 *prospexisse castra brevemque militiam quasi transisse contentus,* ib. 38, 1 *delibasse quaedam contentus,* ib. 63, 5 *renuntiarique te consulem iussisse contentus;* cf. Curt. VIII 11, 18. Vell. II 49, 4. 112, 6. Quintil. X 2, 7. Manil. III 39. dignus pan. 7, 4 *dignusque alter eligi, alter eligere,* cuius vocis et structurae omnium Horatius amantissimus est: od. III 21, 6. sat. I 3, 24. 4, 3. 25. 10, 72. ep. I 10, 48. ars p. 183. 283. verba autem quae Plinius cum infinitivo poetarum more coniunxit haec sunt: adhortari pan. 66, 2 *adhortatus es resumere libertatem,* ad quem locum C. G. Schwarzius adnotavit haec: „ista structura qua verbo huic additur infinitivus Graecam loquendi rationem sapere videtur, quamquam eam nec alii scriptores Latini refugerint, ut Sall. Cat. 5, 9. Val. Max. IV 7 ext. 1. IX 6, 3. Iustin. XII 5, 4." quae quamquam haud inepte dicta sunt, tamen omnes loci quos vir ille doctissimus attulit non adhortandi sed hortandi verbi usum declarant, cuius verbi cum infinitivo coniunctionem poetis frequenter usitatam esse constat. certare pan. 81, 4 *certat frangere fluctus,* cuius verbi apud poetas usus frequentissimus est. cum infinitivo enim hoc verbum coniunctum invenies apud Lucr. V 394. 1123. VI 509. 1247. Verg. ecl. V 9. georg. II 99. aen. II 64. IV 443. V 194. VI 178. IX 520. 533. 557. X 130. Hor. od. I 1, 8. Ovid. met. V 394. Stat. silv. V 3, 191. Sil. XIII 222, quos praeter Plinium secutus est Curtius IX 4, 33. addo Ovidium alia quoque verba studendi vel conandi eadem structura ornasse, ut

met. I 685 *pugnat evincere*, V 354 *remoliri luctatur*. contingit I 16, 9 *quia videre adloqui audire complecti nec laudare tantum verum etiam amare contigit*, VI 26, 3. VII 26, 3. VIII 6, 7. 11, 3. ad Trai. 17 (28), 2. pan. 58, 4. 71, 3. 92, 4. quamquam apud Cic. Arch. 3, 4 *antecellere omnibus ingenii gloria contigit* legitur — cuius loci, cum usus ille a puro et emendato sermone Ciceronis alienus esse videatur, veram lectionem I. N. Madvigius non *contigit* sed *coepit* fuisse suspicatus est — tamen huius verbi cum infinitivo structura apud poetas solos et posterioris temporis scriptores invenitur. cf. Verg. aen. I 96. VI 109. IX 268. Hor. ep. I 17, 36. II 2, 41. ars p. 41. Ovid. met. XI 220 ubi tamen lectio incerta est, Vell. II 124, 2. Quintil. IX 2, 98. XII 11, 3. Sen. ep. XIV 2, 20. Val. Max. V 4 ext. 2. dare pro 'sinere, permittere' positum I 10, 5 *cernere datur*, III 1, 1 *senescere datum est*, VI 16, 3 *beatos puto quibus datum est aut facere scribenda aut scribere legenda*. VIII 4, 4 *si datur . . contrahere*, 20, 1 *quod datur videre*, pan. 29, 3 *nonne cernere datur*, 50, 4 *datur intueri*, 51, 5 *dabitur cernere*, 79, 3 *dabiturne rursus videre consulem illum?* Vergilio omnium poetarum maxime familiaris est haec loquendi formula, qua scriptores posterioris temporis, ut Quintil. VI 3, 100. IX 1, 20. 127. X 7, 22. XI 3, 125. Plin. n. h. X 63, 83 usi sunt. dedignari pan. 49, 6 *quos* (cibos) *dedigneris attingere*. Tac. ann. II 34 *venire dedignaretur*, Iustin. VII 3, 8 *dedignatus ipse ire* ex poetarum usu (Ovid. met. XIII 586. am. I 10, 63. III 7. 73) depromptum. denegare pro 'recusare' III 7, 14 *quatenus nobis denegatur diu vivere*, cf. Propert. II 24, 28 *denegat esse miser*, Hor. od. III 16, 38 *nec si plura velim tu dare deneges*. desiderare pro 'cupere' ad Trai. 23 (34), 1 *id* (balineum) . . *restituere desiderant*, cf. Plaut. Stich. IV 1, 10 *mihi gratiam abs te inire verbis desidero*. dignari saepe a poetis (Lucr. II 1039. Verg. ecl. VI 1. aen. IV 192. X 732. 866. XII 464. Hor. od. IV 3, 14. ep. I 19, 40. II 2, 86. Ovid. met. X 158. trist. IV 1, 52) cum infinitivo coniunctum posterioris aetatis scriptores usurpaverunt, ut Suet. Vesp. 7. 13. Ner. 22. Curt. VI 5, 29. VIII 14, 44 al., iique eadem qua poetae hoc verbum ornaverunt vi, ita ut voluntatis notio inesse videatur. apud Plinium vero dignandi verbum accommodata ad imperii condiciones significatione in epistulis ad Traianum missis et in panegyrico Traiano dicto saepissime legitur: ad Trai. 12 (7). 13 (8). 43 (52), 4. 47 (56), 3. 56 (64), 1. 81 (85), 8. 118 (119), 3. pan. 80, 5. 87, 3. 92, 3. gaudere II 5, 3 *dum ornare patriam et amplificare gaudemus*, pan. 12, 4 *percursare ripas et aliena occasione . . uti ultroque hiemem suam barbaris inferre gaudebant*, 71, 6 *perhibere testimonium merentibus gaudebamus*, 82, 4 *Danubius et Rhenus tantum illud nostri dedecoris vehere gaudebant*, quibus locis Plinius poetarum sermonem se imitatum esse demonstravit. nec spreverunt hanc loquendi rationem alii argenteae aetatis scriptores, ut Quintil. I 2, 30. IX 4, 31. Tac. hist. III 11 et Plinius maior, de quo E. F. Poppo „de latinitate falso aut merito suspecta" in Ann. Berol. XIII 505 conferri iubet L. Urlichsium ad Plin. n. h. IX 12. laborare I 4, 4 *probarique dominis . . laborant*, 10, 2 *amarique ab eo laboravi*, II 5, 9 *sed tamquam adsequi laboraverim*, cf. Hor. ep. I 3, 2 *scire laboro*, Ovid. met. III. 565. X 413. XIII 285. XIV 809 al.

mereor VII 20, 1 *laudari merentur*, pan. 6, 3 *olim tu quidem adoptari merebare*, 46, 6 *qui castigari merebantur*, cf. Ovid. trist. V 11, 16 *merui perdere*, Quintil. X 1, 72. optare III 4, 2 *consilium exquirere optassem*, ut Curt. III 26, 1. IV 45, 5. Tac. dial. 9. quod verbum poetae fere cum infinitivo iunxerunt. sustinere ad Trai. 7 (23) *huic quoque petitioni tuae negare non sustineo*, pan. 26, 3 *tu ne rogari quidem sustinuisti*, 60, 5 *qui non sustinerent tertio consules esse nisi cum ter consule*, 86, 4 *nec sustinuit recedentem non etiam atque etiam votis lacrimis sequi*. hoc verbum et addito et omisso negandi vocabulo apud Ovidium saepissime cum infinitivo coniunctum invenies, quem dicendi usum praeter Plinium omnes fere argenteae latinitatis scriptores imitati sunt, maxime autem Curtius. valeo pan. 46, 1 *quis terror valuisset efficere quod reverentia tui effecit?* quod verbum cum infinitivo iunxerunt poetae, quos scriptores posteriores secuti sunt. huc spectant eae locutiones quae liberiorem usum infinitivi demonstrant: magni aestimare i. q. vehementer cupere, III 2, 5 *itaque magni aestimo dignitati eius aliquid adstruere*, 4, 1 *magni tamen aestimo scire quid sentias tu*, IV 28, 1 *magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum.* tanti putare quod idem fere valet quod ea quam modo diximus locutio: II 9, 6 *te quoque obsecro ut aliquam oneris mei partem suscipere tanti putes*. VI 11, 4 *omnes qui me imitari tanti putabant.* eadem locutione usus est Quintil. VII 2, 42 *an etiam tanti putaverunt poenam subire?* periclitari pan. 84, 5 *periclitabuntur esse privatae*, ubi C. G. Schwarzius haec: „singularis haec est loquendi formula quae graecismum referre videtur. sic enim Aelianus loquitur var. hist. I 8 *καὶ κινδυνεύουσιν ἀπολέσθαι διὰ ταχέων*." eodem verbo usi sunt infinitivo sequente Quintil. XI 3, 42. Plin. n. h. VII 44 (45). XXVI 11, 69. Petron. 140. quod dicendi genus quamvis proprium posteriorum scriptorum sit, tamen referendum est ad poetarum usum quem illi imitati sunt.

Sed haec sufficiant de Plinii usu syntactico cum poetis communi. iam vero ut eo redeamus unde deflexit oratio, ad eas voces enumerandas adgrediamur quas Plinius e poetarum aequalium familiaritate hausisse putandus est. ac primum quidem eas voces nominabo quibus Martialis vel primus vel praeeuntibus quidem aliis poetis sed mutata significatione usus est. garrulitas quam vocem Ovidius met. V 678 de avibus usurpavit a Plinio ad homines refertur IX 10, 2 qua in re Martialem V 52, 8 imitatus est. gustatorium V 6, 37; mannulus IV 2, 3; exactus de homine dictum VIII 23, 5; hamatus de muneribus IX 30, 2 (cf. Mart. VI 63, 5 *munera magna quidem misit, sed misit in hamo)*; pumicatus II 11, 23; adstringi pro 'refrigerari' V 6, 25; stropha pro excusatione dolosa, fallacia I 19, 6; lemma IV 27, 3; salubriter I 24, 5 pro quo Martialis X 104, 14 *pretio salubri* locutus est. deinde cenam illam, ad quam Septicius Clarus a Plinio ep. I 15 vocatus non venerat, lautissimam fuisse ex Mart. XIII 53 adparet et Gaditanae a Mart. V 78, 26 commemorantur. his addantur lactuca quae Plinii aetate ab initio cenae adponebatur I 15, 2 (vox praeter Horatium sat. II 8, 8 a Mart. XI 52, 5. XIII 14. 53 commemorata), et alica I 15, 2 cf. Mart. XIII 6, 1. cum Iuvenale has voces communes habet Plinius: statio I 13, 2.

II 9, 5 ubi locus publicus intellegitur, quem homines otiosi horis subsicivis colloquendi causa adibant; titulus pro sepulcri inscriptione VI 10, 3. IX 19, 3; cum Silio detersus pan. 50, 4; illaudatus pro 'laude carens' IX 26, 4 qua voce Statius quoque usus est; illunis VI 20, 14; ire in saecula pan. 55, 1 quam locutionem idem valere constat quod 'apud posteros fama celebrari'. largiorem autem, ut aequum est, observationum copiam praebet eorum poetarum qui Augusti aetate florebant sermonis comparatio. qua re ne oratio longius excurrat eam rationem inibimus, ut iis fere solis vocibus quae cum uno poeta Plinio communes sunt poetae nomen addamus. a verbis autem initium capiamus. abnegare. abnegandi verbum a poetis cum infinitivo (Verg. georg. III 456. aen. II 637), cum accusativo rei (Verg. aen. VII 423. Hor. od. I 35, 22) et absolute (Verg. aen. II 654) usurpatum a posterioris temporis scriptoribus usu receptum est, cum de eo ageretur qui rem sibi traditam creditori reddere nollet: ad Trai. 96 (97), 7 *ne depositum adpellati abnegarent;* Quintil. XI 2, 11 *abnegatam ei pecuniae partem.* abolere. quo verbo nemo priorum praeter Livium (III 38, 7. XXV 1, 7. 6, 18) atque Vergilium (aen. IV 497. XI 789. georg. III 559) pro 'delere. tollere' usus est, saepe a scriptoribus eis qui Augusti aetati successerunt usurpatum est: IV 22, 1 *hunc gymnicum agona . . tollendum abolendumque curavit,* V 5, 8 *ut mors quam paucissima quae abolere possit inveniat,* VII 6, 6 *causas abolitae accusationis exposuit,* 19. 6 *libros quamquam ex necessitate et metu temporum abolitos.* abominor verbum praeeunte Livio VI 18, 9. 40, 11 ab argenteae latinitatis scriptoribus saepe usurpatum pro 'detestari, exsecrari', ut a Plinio VI 4, 4 *quae maxime abominor fingo.* sed formula illa quod abominor i. e. 'quod deus avertat, quod dii prohibeant, quod dii omen avertant' (ut Cic. ad Brut. 10. Phil. III 14, 35 locutus est) primus Ovidius met. IX 676. ex Ponto III 1, 105 usus est. quem Plinius VI 22, 7 et Curtius VII 4, 12 imitati sunt. abrumpere e Vergiliana consuetudine in Plinii aliorumque usum admissum est. quod si enim aen. IX 497 *abrumpere vitam* legimus, apud Plinium I 12, 8 *multa illa vitae sed minora retinacula abrupit* invenimus et similiter de morte V 5, 4 *ut quae semper inchoatum aliquid abrumpat* deque sermone, quod dicendi genus ab eodem Vergilio aen. IV 388 novatum est, II 14, 10 *repetiit quod abruperat.* de actione II 11, 18 deque aliis rebus VII 3, 4 *quod ego non abrumpi sed intermitti volo,* VI 6, 9 *abrumpe si qua te retinent.* proprie dictum est II 7, 2 *hos arctissimos laqueos . . abrumpam.* praeter Plinium Tacitus Suetonius Quintilianus poeticum usum imitati sunt, qua de re non nulla I. Ph. Krebsius[III] p. 107 attulit. adde quod, quae formula in transitionibus solet usurpari, post poetas (Lucr. IV. 1119. Ovid. met. II 70. XIII 117. 854. ex Ponto II 9, 49 al. Hor. od. II 8, 17. sat. I 2, 83), quos Livius IX 19, 6 imitatus est, apud Plinium VIII 14, 3. Sen. nat. quaest. IV 2, 24 et Quintil. I 2, 31. 3, 16. X 2, 11 legitur, sed Plinius hunc usum ita amplificavit ut non solum imperativi formam verum alias etiam verbi addendi formas cum coniunctione *quod* coniunxerit: III 14, 6 *addam quod opportune de eodem Macedone succurrit,* ib. 9, 6 *addiderunt Baetici quod simul socios ministrosque Classici detulerunt.* eodem modo adice quod invenitur apud Plin. pan. 53, 3. Sen. ben. III 7, 4. clem. I 8, 6. epist. II, 3, 2.

Tac. dial. 9 et apud Quintil. II 17, 40. XI 1, 92. XII 2, 25. adiciendi autem verbum complures scriptores, in his Plinius, saepe cum accusativo et infinitivo coniunxerunt. quod vero formula adde quod Asinius Pollio apud Cic. fam. X 31, 4 et Livius quem supra commemoravi usi sunt, inde effici non potest, illud dicendi genus praestantissimorum scriptorum usu comprobari. qua in re consentio cum F. Haasio ad C. Reisigium p. 599 formulam illam a poetis inventam esse docente. adflare postquam ab Ovidio trist. I 9, 22. Pont. III 6, 17 et a Vergilio aen. II 648 de rebus quae flatu aliquo ferri videntur ut de fulmine igne usurpatum est, Plinius pan. 90, 5 haec verba fecit: *utrumque nostrum ille optimi cuiusque spoliator et carnifex . . iacto fulmine adflaverat* i. e. explicante I. M. Catanaeo flamma strinxerat, quia qui fulmine adflantur non illico feriuntur. similiter locutus est Suet. Tib. 69. admovere VII 1, 4 *admotumque iam labris poculum* Plinius ex Vergilio ecl. III 43 *necdum illis* (poculis) *labra admovi* et amplecti ad Trai. 70 (75), 3 *locum . . exedra et porticibus amplecti* ex Verg. ecl. III 45 *est ansas amplexus acantho* videtur hausisse. adspicere de situ rerum dictum V 6, 21. 29 ut apud Colum. r. r. VIII 8, 2. Tac. Agr. 24. Germ. 5; sic saepe poetae, maxime Vergilius locuti sunt. adsurgere, vox de rebus crescentibus post Vergilium georg. III 354. IV 86. aen. I 539 scriptoribus argenteae latinitatis usitata, apud Plinium legitur IV 30, 3 de fonte, VI 31, 16 de insula, VIII 4, 3 de ingenio, ib. 8, 2 de colle. item consurgere apud Plinium V 6, 14 de villa legitur. ampliare quod ante in usu forensi erat, inde ab Horatio sat. I 4, 32 pro 'augere' in usum suum scriptores posteriores converterunt, ita ut legantur apud Plinium ad Trai. 70 (75), 1 *ut ipsa civitas amplietur,* pan. 54, 4 *de ampliando numero gladiatorum . . consulebamur.* aperire annum pan. 58, 4 de consulibus magistratum ineuntibus dictum, ubi Plinius Vergilium georg. I 217 dicentem de signo tauri annum aperiente imitatus est. eadem locutione Statius silv. IV 1, 2 usus est. aptare. aptandi verbum Verg. aen. IV 289 et Hor. sat. II 2, 110 ita usurpaverunt ut pro 'parare, instruere' positum videatur; itaque Plinius pan. 18, 2 *arma moenia viros aptant,* VI 16, 7 *iubet Liburnicam aptari,* Suet. Tib. 65 *aptare naves* atque Quintil. X 7, 23 *nondum . . aptatis satis armamentis* eodem modo hoc verbum usurpaverunt. et apud Livium quoque frequenter legitur aptandi verbum de rebus bellicis adparandis, ut V 49, 3. X 33, 2. XXI 49, 11. XXII 5, 3. attollere, vox poetica, qua scriptores optimi de industria videntur abstinuisse, cum a scriptoribus posterioris aetatis tum a Plinio usurpatur. maxime de oratione III 13, 4. V 17, 2: de animo pan. 44, 6 (ut apud Verg. aen. XII 4). quo fit ut aliquem attollere IX 26, 2 idem valeat quod erigere et ib. 33, 11 idem quod augere, atque passiva verbi forma cum augescendi verbo coniuncta inveniatur pan. 57, 5: tum de aliis rebus, ut ad Trai. 7 de conscientia civium, pan. 14, 3 de pulvere equitantis. ausim, quae forma coniunctivi apud solos poetas (ut apud Lucr. II 178. V 196. Hor. sat. I 10, 48. Verg. ecl. III 32. georg. II 289. Ovid. am. II 4, 1 al.) legitur, bis apud Plinium IV 4, 3. IX 13, 25 et apud Tacitum et Quintilianum aliquoties exstat. cantare IV 19, 4 *versus meos,* VII 4, 9 *legitur scribitur cantatur etiam.* hoc verbum frequentissime a poetis

usurpatur. captare usu vulgari pro 'studiose quaerere' pan. 4, 5 *humanitate amorem, terrore reverentiam*, 91, 2 *commendationem beneficiis suis ex difficultate*, sed de iis qui senes orbos sectantur atque omni adulatione prosequuntur ut eorum hereditates capiant, de heredipetis igitur quos dicunt, a primo Horatio sat. II 5, 23. 57 dictum est, quem Plinius II 20, 7. IV 2, 2. VIII 18, 2 imitatus est. cavare excepto uno loco Livii XXI 26, 8 apud solos poetas legitur, quos Plinius secutus est V 6, 36. VIII 20, 4. certare quod verbum Graecorum more a poetis[16]) cum casu dandi coniunctum est, apud Plinium a communi usu recedentem legitur VIII 8, 4 *rigor aquae certaverit nivibus.* de huius verbi cum infinitivo structura p. 10 exposuimus. cessare a poetis dicuntur ea quae vacant, nihil agunt, desunt vel absunt, qua re Plinius dixit II 4, 3 *quod cessat ex reditu frugalitate suppletur*, III 17, 1 *iampridem epistulae tuae cessant*. VI 34, 3 *licet cessaverint illae* (Africanae) *tempestate detentae*, ad Trai. 39 (48), 3 *cessante eo quod ante peragendum est*, pan. 31, 5 *cessantem Nilum.* circumferre oculos I 12, 8. IV 15, 8. IX 11, 1. pan. 7, 5 a Plinio post Ovid. met. VI 169. XV 673 usurpatum est. cogitare. cogitandi verbum Plinius ita usurpavit ut accusativum personae sequi iubeat: V 5, 4 *qui posteros cogitant* i. e. inter posteros vivere cupiunt. hanc dicendi rationem fere poeticam dixerim, quamvis locum e poetarum libris desumptum adferre nequeam. coire in lites V 14, 6 Plinius poetarum more locutus est, a quibus illud verbum de congressu pugnantium usurpatur (ut a Verg. aen. XII 708). sed eo quem commemoravi loco Vergilianum illud aen. XI 292 *coeant in foedera* mihi videtur Plinio obversatum esse. deinde cum coeundi verbum poetae scriptoresque posteriores dixerint de vulnere quod clauditur cuiusque summa labra coniunguntur, Plinius dixit II 1, 5 *coxamque fregit quae . . male coiit.* cf. Propert. III 24, 18. Ovid. trist. III 2, 9. IV 4, 10. compescere ex poetarum in primis Augusti temporis consuetudine a scriptoribus posterioris aetatis usu receptum est: ad Trai. 33 (42), 2 *ad incendia compescenda*, pan. 56, 7 *hostilemque terrorem non armorum magis quam togarum ostentatione compescere*, ib. 80, 3 *tumentesque populos non imperio magis quam ratione compescere.* componere. cum componi ea dicantur quae magna cum diligentia in ordinem disponuntur ut crines togae, Plinius IV 11, 3 scripsit ad Cornelium Minicianum: *postquam se composuit circumspexitque habitum suum*, sine dubio

[16]) Frequentissimus est huius verbi usus apud poetas, quos Graecorum consuetudinem imitatos esse constat. cum tertio enim casu coniunctum certandi verbum invenies apud Ovid. met. XIV 794. Verg. georg. II 99. 137. ecl. V 8. VIII 54. Hor. od. II 6, 15. epod. II 20. XI 18. sat. II 3, 313. 5, 19. Propert. II 3, 21. sed quo facilius cognoscatur quam varia ac multiplex sit dicendi ratio poetis maxime familiaris, eas locutiones adferre libet, quas, quoniam in iis inest certandi vis, Vergilius praeeuntibus Graecorum scriptoribus aeque atque id verbum a quo profecti sumus cum dativo coniunxit. sunt autem hae: aen. XII 60 „desiste manum committere Teucris", I 493 „audetque viris concurrere virgo", X 8 „abnueram bello Italiam concurrere Teucris", XII 678 „stat conferre manum Aeneae", I 475 „infelix puer atque impar congressus Achilli", V 809 „Pelidae tunc ego forti congressum Aenean", I 488 „se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis", IV 38 „placitone etiam pugnabis amori?" XI 600 „pressis pugnat habenis".

Ovidium met. IV 318 *cum se composuit, cum circumspexit amictum* imitatus. tum componere vultum ex eodem usu Ovidiano met. XIII 767 Plinius locutus est II 20, 3. III 16, 5. VII 1, 6 sicuti Tacitus Quintilianus Suetonius. ex imitatione autem Vergiliana (aen. I 698 ubi *se componere* idem valet quod decumbere, iacere) per translationem Plinius de Sullae vita privata dixit V 18, 1 *in qua* (villa) *se composuerat* i. e. in quam e turbis rerum publicarum secesserat. huc non pertinent ea verba quae Plinius dixit pan. 76, 5 *imperator in senatu ad reverentiam eius componebatur*, ubi minus apte I. M. Catanaeus de lectica cogitavit qua Domitianus delatus sit in senatum. nam hoc loco componendi verbum eo significatu ornandum esse puto quo Ovidius iam praeierat, ita ut Plinius voluerit dicere Domitianum quamdiu senatui interesset simulando id egisse ut senatum revereri videretur. comprecari post poetas prioris et Augusteae aetatis (Ovid. Catull.) in Pliniano usu IV 25, 2. pan. 2, 8 est. condere de tempore pro 'consumere, conficere' praecipue apud poetas legimus, ut apud Hor. od. IV 5, 29. Verg. georg. I 458. ecl. IX 52, unde Plinius II 17, 12 *sol nascitur conditurque*, IX 36, 4 *dies cito conditur*, pan. 80, 6 *cum tibi dies omnis summa cum utilitate nostra, cum tua laude condatur*. postquam deinde sepeliendi vi hoc verbum etiam poetae instruxerunt (cf. Verg. aen. III 67, apud quem ib. I 374 vel *componere* idem valet quod condere, Ovid. fast. V 451. Val. Flacc. V 198), Plinius non dubitavit dicere VII 27, 11 *domus postea rite conditis manibus caruit*. corripere viam IV 1, 6 quod est apud Verg. aen. I 422. crebrescere VII 27, 8 quod verbum novavit Vergilius (aen. III 350. XII 222. 407), argenteae latinitatis scriptorum usu receptum est. culpare. culpandi verbum a Verg. aen. II 602 fictum saepe apud Plinium invenitur: I 8, 15 *si laudanda non sileas, ipse culparis*, V 8, 13 *in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt quam laudanda, tum si laudaveris, parcus, si culpaveris, nimius fuisse dicaris*, VII 17, 4 *num ergo culpandus est ille qui coepit?* IX 19, 8 *neuter culpandus*, ib. 26, 10 *dices hunc quoque ob ista culpari*. curvare II 17, 8 *cubiculum in haspida curvatum*, VI 16, 12 *circumactis curvatisque litoribus*, IX 26, 4 *curvatur arbor*. dedignari quod est apud Ovid. Pont. I 7, 33 et Verg. aen. IV 536 ter apud Plinium legitur: VIII 6, 16 *quos* (honores) *Pallas non dedignabatur*, pan. 55, 4 *qui minores* (honores) *non dedigneris*, ib. 63, 4 *concupiscere honorem, quem dedigneris, dedignari quem concupieris*. praeterea VI 17, 5 legitur *dedignatur*, ubi Henr. Keilius *invicem contemnat* recepit, quam G. E. Gierigius glossam esse recte arbitratus est. in Mediceo codice lacunam inveniri dolendum est. de dedignandi verbi cum infinitivo structura p. 11 exposuimus. deflere. deflendi verbo Plinius VIII 16, 5 *in sinu amici defleas* eodem modo quo Propertius I 16, 13 *gravibus deflere querelis* usus est, ita ut significatio intransitiva insit, ad quam confirmandam C. Lachmannus non nullos Manilii et Apuleii locos in A. Forcellini thesauro adlatos laudavit. defungi pro 'mori' III 21, 6. IV 21, 3. V 16, 1. ad Trai. 5 (4), 2; sicuti Plinius absolute obeundi verbo usus est pro 'mortem obire' VI 2, 5. desinere pro 'interire, perire' II 10, 4 *fragilia et caduca non minus quam ipsi homines occidunt desinuntque*. hic usus verbi e poetarum more formatus videtur esse, quem in his quoque inesse iudico: V 6, 19 *xystum*

desinentem, ib. 31 *unde triclinium desinit, incipit portus*, quem usum Plinius etiam ad orationem profert IX 4, 1. desolare quod verbum Virgilius (aen. XI 367. 870) finxit participii forma a posterioris temporis scriptoribus usu receptum est, qua re Plinius ad Trai. 96 (97). 10 *desolata templa* ea quae cultoribus vacua sunt et IV 21, 3 *desolatum filium* dixit eum qui unus ex tribus liberis superest domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam fulcit ac sustinet. sic *desolatus* legitur apud Suet. Cal. 12 et Tac. ann. I 30. XII 26. XVI 30. deterere pro 'depravare' inter poetas in primis Horatius usurpavit. apud Plinium IX 35, 2 haec leguntur: *nimia cura deterit magis quam emendat.* dictare. dictandi verbo Horatius sat. I 4. 10. epist. II 1. 110 ita usurpat ut sit 'dictando componere'. similiter Plinius II 20. 14 de alienis testamentis dixit. imperandi vis inesse in hoc verbo videtur I 9. 6 cf. Quintil. III 4. 12. disponere de die, de tempore otioso Persius V 43 et Martialis V 20. 3 ita usurpaverunt ut sit 'otio suo certam occupationem tribuere'. eodem modo hac voce usus est Plinius IV 23. 1. IX 36. 1. praeterea *ritum dispositum* dixit III 1. 2. cf. Suet. Tib. 11. Tac. Germ. 30. Sen. dial. XI 6. 4. domitare e Vergiliano usu (georg. I 285. aen. VII 163) a Plinio pan. 81. 4 receptum est. ducere noctem VI 31. 13 pro 'noctem agere cum voluptate' post Verg. georg. III 379. aen. II 641. IV 560. Hor. epist. II 2. 202. cf. Bentl. ad Hor. epist. I 2, 31. eluctari VIII 8. 2 quod verbum Vergilius Lucanus Valerius Flaccus et post Livium XXIV 26. 13 argenteae latinitatis scriptores usurparunt. sic Livius, qui quoniam orationem inflexit quasi quendam transitum ad argenteae latinitatis rationem mihi videtur parasse, saepe poetarum morem secutus posterioris temporis scriptoribus tamquam exemplum ad imitandum propositus esse dici potest. postquam enim is, ut exemplum adferam, eniti pro 'parere, partu in lucem edere' cum poetis usurpavit, apud Plinium IV 21, 1 *utraque filiam enixa decessit* legimus. etiam exasperare VIII 1. 2 et excurrere pro 'protendi' II 17, 5 post Ovidium et Livium eorum qui post Augusti tempora scripserunt usu videntur recepta esse. esse in pretio i. q. pretiosum esse VIII 14, 7 post Ovid. fast. V 58. exarmare accusationem pro 'remotis testibus infirmare' III 9, 29; vox poetis qui post Augustum fuerunt admodum usurpata. excutere mentem i. q. terrere, perturbare I 18, 3 cf. Lucan. IV 5. 36. Sil. II 592. Stat. Theb. III 93 *excussa mens*. exercere de colendis agris I 20. 16. VII 18. 3 ut Vergilius saepe locutus est. exigere tempus pro 'agere tempus' III 1, 1. VI 20. 19. 31. 9. VII 5, 1. IX 40, 1. hoc verbum in usu poetarum esse constat. exire dicuntur ea quae extenduntur, proferuntur, ut II 11. 18 *in tertium annum probationes exierunt.* exorare i. q. placare, reconciliare II 2, 2. 5, 6. qui usus verbi ab Ovidio trist. II 1. 22. III 13, 23 et Valerio Flacco I 155 ductus est. exspirare eleganti metaphora ab iis desumpta qui, ut ait C. G. Schwarzius, acutissimus ille panegyrici Pliniani vindex, sub transitum ad mortem agunt animam, a Plinio poetarum (Verg. aen. X 731. Hor. epod. V 91) usum secuto de proxime interituro statu liberae rei publicae dictum est pan. 57, 4 *exspirante iam libertate.* simili metaphora Tacitum ann. I 74 *manebant etiam tum vestigia morientis libertatis* usum esse docet C. G.

Schwarzius ad illum quem dixi Plinii locum. sed Livius quoque translato sensu exspirandi verbum usurpavit XXVIII 28, 11 *mecum exspiratura res publica erat.* cum extendere de fama apud Vergilium aen. X 468 exstaret, Plinius dicere non dubitavit V 8, 1 *aliorumque famam cum sua extendere* atque hanc vocem ad memoriam augendam transtulit V 5, 4. VII 31, 5. sic apud Livium XXVIII 43, 5 *cupiditas gloriae extendatur* leguntur. quod verbum cum de tempore poetae usurpaverint, ut Hor. od. II 2, 5 *extento aevo*, Plinius IX 36, 4 dixit: *ita variis sermonibus vespera extenditur* i. e. sermones extenduntur per vesperam (cf. Hor. ep. I 5, 11 *aestivam sermone benigno tendere noctem*, Verg. aen. I 748 *vario noctem sermone trahebat*). pan. 49, 5 *non ipsum tempus epularum tuarum . . extendit humanitas?* et 61, 6 *causam fuisse extendendi consulatus tui.* exuberare, vox fere poetica quam Vergilius et Valerius Flaccus de arbore umbra amne sanguine usurpaverunt. quod vero Vergilius georg. II 516 dixit: *nec requies quin aut pomis exuberet annus, aut fetu pecorum et Cerealis mergite culmi*, eum Plinius imitatus videtur esse pan. 29, 3 haec dicens: *nonne cernere datur ut sine ullius iniuria omnis usibus nostris annus exuberet.* hoc verbo exuberandi alii quoque posterioris temporis scriptores uti consuerunt. sed videntur usum verbi ita mutasse, ut illud nisi per translationem non usurparint. cf. Suet. Cal. 40 *lucrum exuberat*, Tac. dial. 30 *ex pluribus artibus exundat et exuberat eloquentia.* fallere cum Horatio epist. I 17, 10 pro 'latere' usurpasse Plinius videtur IV 25, 2 *ille tamen fefellit et latuit*, atque pro 'mollire, solari' V 6, 11 *clivo fallente* i. e. efficiente ne molestiam sentiamus, cf. Ovid. met. VI 60 *studio fallente laborem.* fatigare, quod verbum a poetis solis pro 'coercere, minuere' usurpatum est, a Plinio de fecunditate terrae dicitur III 19, 6. ferre. pan. 31, 4 *venti ferentes* sunt venti secundi qui, ut ait C. G. Schwarzius, a puppi implent vela. en luculentum exemplum imitationis poeticae, ventos enim ferentes dixit Vergilius aen. III 473. sic Plinius etiam pan. 82, 5 *flumina liquida ac deferentia* vocat ea quae naves facile deferunt, cf. Verg. aen. X 688. fingere addito pronominis reflexivi dativo quo optimi scriptores abstinuerunt VI 4, 4 *ea maxime mihi quae maxime abominor fingo*, VII 27, 7 *ne vacua mens audita simulacra et inanes sibi metus fingeret.* quem loquendi usum in disputatione priore p. 25 ad illud Vergilianum quod legitur ecl. VIII 108 *an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* referendum esse docui. fluitare pan. 81, 4 *fluitantia vela* i. e. vela laxa ideoque ventis facile agitanda, ex Ovid. met. XI 470 desumpta a Plinio videntur. formare. formandi verbum, quod apud Verg. georg. III 163, Ovid. met. III 288, saepissime autem apud Horatium idem valere constat quod informare erudire educare, Plinius eadem significatione usurpavit I 14, 3. III 10, 6. IV 19, 7. pan. 47, 1. 88, 3. sic quoque apud Quintilianum proem. 5. XII 2, 4 ad studia moresque hoc verbum translatum est. addo Senecam epist. XIX 3, 1 utrumque coniunxisse: *cupio mehercules amicum tuum formari, ut desideras, et institui.* sicuti gemere dicuntur a poetis res inanimae ut ab Ovid. Pont. III 3, 10 fenestra, Verg. georg. III 183 rota, ib. v. 133 area, IV 173 Aetna, aen. VI 413 cymba, XI 138 plaustrum, ab Hor. od. I 14, 6 antemnae, a Val. Fl. III 164 robur, VI 168 ager: ita Pli-

nius IX 26, 4 ait: *gubernacula gemunt.* gravari cum accusativo rei vel personae coniunctum pro 'graviter ferre, detrectare, recusare' post poetas (Hor. od. IV 11. 27. Lucan. VII 284) apud posterioris temporis scriptores legitur, ut apud Plinium III 18, 6. pan. 45, 3. Suet. Aug. 72. Ner. 34. Vit. 12. Iustin. XX 2. XXXIX 4. Quintil. I 1. 11. Tac. ann. III 59. Sen. clem. I 13, 1. plura invenies apud Servium ad Verg. aen. X 628. haerere cum dandi casu coniunctum pro 'comitem et familiarem esse' post Verg. aen. X 779 apud Martialem saepissime, apud Plinium VII 27, 2 *tenuis adhuc et obscurus obtinenti Africam comes haeserat* et Quintil. XI 1, 80. decl. 330 legitur. humescere pan. 73, 4 *vidimus humescentes oculos tuos*, quam vocem Vergilius primus georg. III 111 de equis usurpavit qui 'spumis flatuque sequentum' humidi fiunt. apud Horatium vero sat. II 6, 70 *uvescit*, non *humescit*, quae glossa est codicum aliquorum, legendum est. iacere de aegrotis dictum cum Tibullo I 5, 9. II 5. 109 Plinio II 20, 2. V 9, 2 commune est. deinde iacere dicuntur ea quae humilia ac depressa sunt ut III 6. 2 *papillae iacent* atque translato sensu quae inferiora sunt quaeque ab alio superantur, opprimuntur, ut VIII 6. 2 *infra Pallantis laudes iacebunt.* similiter Ovidius her. IV 161. met. I 149 et Vergilius georg. III 354 locuti sunt. imperitare pan. 82, 6 *sed si his validior toto corpore animus imperitet*, vox fere poetica qua iam Plautus Capt. II 1. 47 usus est. impingere quamquam apud Cic. Tusc. III 19, 44 et Att. VI 1, 6 exstat, tamen plerumque apud poetas et scriptores argenteae latinitatis legi G. Boetticherus in lexico Taciteo p. 244 recte iudicavit. Plinius hoc verbo III 16, 12 usus est, ubi haec inveniuntur: *adverso pariete caput ingenti impetu impegit.* imputare post Ovidium (met. II 400. XV 470. her. VI 102) ab argenteae latinitatis scriptoribus pro 'tribuere, attribuere' usurpatum esse in disputatione priore p. 26 a me demonstratum est, ubi liberiorem Plinii aequaliumque scriptorum usum descripsi. incandescere, quod verbum idem valet quod vehementer incalescere, exardescere, inflammari, post Ovid. met. II 729. XII 12 et Verg. georg. III 478 a Plinio pan. 30, 3 *pars magna terrarum alto pulvere incanduit* et a Seneca nat. quaest. III 16, 3 (ubi tamen in edit. Haas. leguntur *aestas suo tempore incaluit)* usurpatum est. incessere vox fere poetica apud Plinium exstat I 8, 15 *homines enim, cum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt.* inchoare postquam a Vergilio aen. VI 252 ita usurpatum est ut pro 'aedificare. instituere' positum esse videatur, Plinius imitatus est hunc verbi usum: III 4, 2 *publicum opus mea pecunia inchoaturus.* Vergilii enim de aris nocturnis Stygio regi instituendis locum non ita interpretor, ut arae sacris factis dedicari communique usui tradi intellegantur. inclinare etsi de tempore et die dictum apud Cic. Tusc. III 3, 7 *inclinato in postmeridianum tempus die* legimus, Plinius tamen Horatium od. III 28, 5 *inclinare meridiem sentis* imitatus huius verbi vim ita amplificasse mihi videtur, ut tempore vespertino ad quod dies vergit omisso liberiorem poetarum sermonem secutus sit II 17, 12. V 6, 31. VII 27, 2 ubi ter legitur *inclinato die.* includere de tempore Hor. od. IV 13, 14 et Propert. II 12, 54 usurparunt, qua re Plinius II 11. 18 *huius actionem vespera inclusit* dicere conatus est. increscere vox post

Augusteae aetatis poetas Liviumque I 33, 8 *increscens audacia* Plinio usitata: I 12, 9 *increverat valetudo.* VII 19, 3 *tussis increscit.* VIII 4, 3 *ingenium amplissimis operibus increscit.* de morbo ingravescente Celsus quoque III 2 hac voce usus est. indurare Ovidius trist. III 9, 14 de borea nivem duram efficiente dixerat. unde haec vox a posterioris temporis scriptoribus ut a Plinio II 17, 27 usu recepta est. indurescere per translationem idem Ovidius trist. V 2, 5 de corpore usu vexato dixerat, unde haec vox usurpata est a Plinio I 12, 10. cf. Tac. hist. III 61. Quintil. I 3, 12. quis est deinde qui Plinium ex imitatione Vergiliana II 17, 17 *teporem solis infusi* locutum esse neget, cum aen. IX 461 legamus: *iam sole infuso, iam rebus luce retectis.* poeticum quendam sermonem declarant etiam ea verba quae VI 20, 13 inveniuntur: *quae* (caligo) *nos torrentis modo infusa terrae sequebatur.* inerrare, qua voce post Tibullum IV 1, 201 et Statium silv. I 5, 58 raro usi sunt scriptores, bis apud Plinium legitur: I 6, 3 *experieris non Dianam magis montibus quam Minervam inerrare.* VII 27, 6 *memoria imaginis oculis inerrabat.* inhaerere de eo qui artissimis caritatis vinculis cum aliquo coniunctus est apud Verg. aen. VIII 124. Ovid. am. III 561. Plin. ep. V 16, 1 *ut illa patris cervicibus inhaerebat* legitur. inicere manum quod est iuris, per translationem primum a Verg. aen. X 419 ita usurpatum est ut Parcae Evandrum tamquam suum vindicasse et ad mortem traxisse intellegantur. quem loquendi usum Plinius ad Trai. 87 (19), 2 *quieti eius inicci manum* et Seneca dial. XII 11, 7 *animus quidem ipse sacer et aeternus est et cui non possit inici manus* secuti sunt. innectere vox poetis usitatissima quae legitur apud Plinium IV 3, 3 *quae scribis complere apes floribus et innectere videntur.* insonare VII 27, 9 *illa scribentis capiti catenis insonabat.* instare curru Plinius pan. 17, 2 recte poterat dicere, cum exstet apud Verg. aen. I 468 *instaret curru cristatus Achilles* et apud Ovid. met. XII 73 *iam curru instabat Achilles.* insurgere. hoc verbum postquam a Vergilio propria dictione de remigibus usurpatum est qui surgentes fortius remos tractant iisque maiore vi incumbunt, cf. aen. III 207 *remis insurgimus.* ib. 560. V 189 *insurgite remis.* Plinius per translationem ad eos videtur rettulisse qui animis iterum erectis quos servitus oppresserat sensim viribus et potestate crescunt: pan. 61, 2 *invigilare publicis utilitatibus et insurgere.* quam interpretationem sustentari ac stabiliri posse puto eis verbis quae paulo post sequuntur: *erant sub oculis naufragia multorum, quos insidiosa tranquillitate provectos improvisus turbo perculerat.* ubi Plinius qua similitudine a navigatione petita coeperat uti eadem per elegantem metaphoram ornavit orationem. intendere more poetarum a Plinio bis usurpatum est: III 9, 21 *in iugulum innocentis quasi telum aliquod intendere.* ubi hoc verbum pro 'dirigere, inicere' positum est. cf. Verg. aen. IX 590 *intendisse sagittam:* alter locus legitur pan. 19, 3 *ut studium omnium laboremque . . intenderes.* ubi hoc verbum translato sensu usurpatum idem est quod augere, amplificare, quia, ut ait A. Forcellinus, quae intenduntur maiorem vim habent, cf. Verg. aen. VII 513 *Tartaream intendit vocem.* intercipere i. q. de medio tollere, praematura morte abripere VI 25, 4. ad Trai. 41 (50), 4 *intercepto rege mortalitate,* Ovid. met. VIII 292. X 476. Tac. ann. III 12. Agr. 43. Suet. Caes. 20. Stat. Theb. VIII

87. interloqui quod non legitur nisi apud Ter. Heaut. IV 3, 13 et post apud Gell. XIV 2, 19 a Plinio uno loco qui est VII 6, 6 *ipse raro et breviter interlocutus* usurpatum est. cf. interfari I 23, 2 qua voce ante Plinium Verg. aen. I 390 et Livius aliquoties usi sunt. intumescere VIII 20, 4. inumbrare a Vergilio aen. XI 66 mutuatus est Plinius ep. V 6, 20. VIII 17, 3; quibus locis pro 'opacare' positum est. lassare i. q. fatigare III 9, 9. pan. 61, 10. librare pan. 13, 1 *nunc eminus tela librares nunc librata susciperes*, quod genus dicendi maxime familiare poetis est, ita enim locuti sunt Verg. aen. IX 417 et Ovid. met. III 222, quos praeter Plinium alii scriptores posterioris aetatis ut Quintil. decl. IV 13. Tac. hist. III 27. Curt. IV 14, 5 secuti sunt. lingere quae vox apud Plautum et Catullum legitur a Plinio VIII 18, 9 usurpata est. mancipare vox Plauto Curc. IV 2, 10 et Horatio epist. II 2, 59 usitata apud Plinium legitur IV 2, 2. VII 18, 2. meare praecipue de rebus poetae dixerunt, qua re Plinius VIII 20, 9 *quod* (flumen) . . *specu mergitur alteque conditum meat*. miscere murmur V 6, 23 a Plinio Vergilio aen. IV 209 praeeunte dictum est. misceri cum casu dandi coniunctum est poetarum fere more VII 27, 13 *mixtus pluribus*, VIII 8, 5 *flumini miscentur*, ad Trai. 61 (69), 2 *flumini mixtus*. sic quoque permisceri a Plinio usurpatur II 11, 23 *permixtus causae*, ad Trai. 20 (31) *si permisceantur servis publicis milites*, pan. 52, 2 *incesti principis statuis permixta deorum simulacra*. monstrari i. q. commendari, ex sollemni reverentia qua viri insignes prodeuntes excipiuntur VI 6, 3 cf. Hor. od. IV 3, 23. Pers. sat. I 27. movere humum pro 'arare, fodere' post Verg. georg. II 264. Ovid. met. III 106 a Plinio II 17, 25 dictum est. mussare pro 'cunctari' vox fere poetica (Lucr. VI 1177. Verg. aen. XI 344. XII 657) apud Plinium III 11, 12. VII 1, 5 legitur. nectere IX 28, 4 *qui iam tibi compedes nectimus* poetarum more (cf. Hor. epist. I 19, 31 *nec sponsae laqueum famoso carmine nectit)* Plinius dixit. nitescere II 17, 3 de bona gregum condicione, postquam poetae ut Verg. aen. VI 654 verbum nitendi ita usurparunt. oberrare post Horatium a. p. 356 et Persium IV 26 a scriptoribus posterioris temporis usu receptum est: apud Plinium legitur haec vox IX 13, 25 *referentes hanc imaginem menti eius, hanc oculis oberrasse*, pan. 49, 8 *obscaena petulantia mensis principis oberrat*, 61, 7 *utrinsque adhuc oculis paulo ante dimissi fasces oberrabant*; cf. quae de inerrandi verbo p. 20 diximus. obire oculis aliquid i. q. circumspicere, lustrare III 7, 13. VIII 18, 9 praeeunte Vergilio aen. X 477. cf. Sil. III 160 *risu obire*. praeterea obeundi verbum absolute pro 'diem supremum, mortem obire' dictum, quod plerumque apud poetas solet legi, apud Plinium VI 2, 5 exstare p. 16 diximus. oblectare tempus i. q. tempus iucunde consumere IV 14, 2 *oblectamus otium tempus* i. q. oblectamur otio. ita enim Ovidius trist. V 12, 1 *ut oblectem studio lacrimabile tempus* locutus est, quem Tacitus quoque imitatus est ann. XII 49. obluctari, quam vocem Vergilius aen. III 38 finxit, a scriptoribus posterioris aetatis usu receptum est: legitur enim apud Plinium ep. IV 30, 6 *per quasdam obluctantis animae moras*, apud Columellam Curtiumque et apud poetas Statium et Silium. obfirmare VII 27, 8 et obturbare pro 'interpellare, loquentem impedire' IX 13, 19 ex

usu poetarum comicorum Plinius videtur recepisse. pallere i. q. timere VI 2, 2 sicuti Horatius et Persius hac voce usi sunt. pavere cum accusativo rei VIII 20, 8 *lacum paveant,* quae structura non in usu est nisi apud poetas (Hor. epod. XII 25. Petr. sat. 139). quos praeter Plinium Tacitus hist. I 29. 50 Pliniusque maior II 12, 9 imitati sunt. pendere 1) i. q. flaccidum esse, III 6, 2 *pendent lacerti,* cf. Iuv. X 193. Ovid. met. VIII 805. XV 231 (opp. 'surgere, stare'), 2) de eo qui attente audit dicentem I 10, 7 cf. Verg. aen. IV 79. Ovid. her. I 20 al. percoquere i. q. ad maturitatem perducere V 6, 8 cf. Lucr. VI 858. Ovid. rem. am. 83. pererrare V 6, 32 *hedera truncum et ramos pererrat,* ita haec vox apud Hor. Verg. al. legitur. perlegere pro 'contemplari, lustrare' VIII 20, 2 a Plinio more poetarum qui *perlegere oculis* scripserunt (ut Verg. aen. VI 33. Stat. Theb. III 499) usurpatum est. personare VII 4, 9 *nunc cithara nunc lyra personatur,* quod dicendi genus a poetico usu translatum videtur, cf. Verg. aen. I 744 *cithara crinitus Iopas personat aurata.* pinguescere quam vocem Verg. georg. I 491 finxit apud Plinium pan. 30, 1 legitur, permultis autem locis apud Plinium maiorem exstat. plaudere addito dativo pronominis reflexivi IX 14, 1 *tibi plaudis* i. q. tibi places, nimium amas quae tua sunt, cf. Hor. sat. I 1, 66 *populus me sibilat: at mihi plaudo ipse domi.* ponere pro 'adponere' i. e. ponere in mensa ante aliquem II 6, 2 cf. Verg. georg. II 521. Hor. sat. II 2, 23. Iuven. V 135. Martial. VIII 22, 1. praecingere vox frequentissimo poetarum usu celebrata: ad Trai. 39 (48), 4 *parietis testaceo opere praecincti* i. q. obducti. praesumere. de praesumendi verbo in disputatione priore p. 28 disserui. praetegere pan. 15, 4 cf. Propert. III 12, 12 ubi alii legunt *protegit.* praetendere quam vocem poetae aetatis Augusteae finxerunt, VIII 27, 8 *obfirmare animum auribusque praetendere.* premere fossam i. q. ducere fossam, ad Trai. 61 (69), 4 ut apud Verg. aen. X 296 *premere sulcum* i. e. premendo sulcum facere et apud Curt. V 1, 28 *cavernas in altitudinem premere.* translato deinde sensu premendi verbum idem valet quod celare tegere occultare pan. 62, 5 ut rursus apud Verg. aen. IV 332. VI 828. VII 103. procurrere per translationem dicuntur ea quae protenduntur et prominent VI 20, 11 *Miseni quod procurrit abstulerat.* sic Verg. aen. V 204. Ovid. fast. IV 419 locuti sunt. poeticum fere usum dicendi ea locutio monstrat quae exstat apud Plinium I 22, 10 *impetu quodam et instinctu procurrere ad mortem,* a qua non multum discedunt haec verba III 7, 2 *ad mortem irrevocabili constantia decurrit.* promovere pro amplificandi extendendi notione Plinius dixit VIII 20, 7 sicuti Ovid. am. II 9, 17. Pont. II 2, 72. eadem significatione Suet. Ner. 16 hoc verbum usurpavit. cum properari a poetis ea dicantur quae magna celeritate comparantur vel perficiuntur, cf. Hor. epod. XII 22 *iteratae vellera lanae cui properabantur.* Ovid. met. V 396 *amor properatur.* Verg. georg. I 260 *quae forent properanda,* Plinius pan. 51, 3 passiva huius verbi forma de porticibus et delubris 'occulta celeritate' aedificandis usus est. prorepere, qua voce Hor. sat. I 1, 36 de formica sensim prodeunte usus erat, a Plinio pan. 22, 3 de aegrotis ad imperatoris salutem sanitatemque quasi rependo procedentibus usurpatum est. prospicere eleganter dicuntur

loca edita unde prospectus patet II 17, 12 *cenatio latissimum mare, longissimum litus, villas amoenissimas prospicit*, V 6, 14. IX 7, 2; cf. Hor. epist. I 10, 23 *domus prospicit agros*, Ovid. fast. VI 205. Phaedr. II 5, 9 ubi tamen Orelliani codices variam praebent lectionem. eodem usu a Plinio eiusque aequalibus verbum prospectandi ornatum esse constat, de quo in programmate Numburgensi p. 29 a me disputatum est. provenire translato sensu pro 'nasci simul et crescere' VIII 19, 2 *ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt.* sic Ovid. trist. I 1, 39 *carmina proveniunt animo deducta sereno*, Tac. ann. I 19. IV 22. Suet. Vesp. 5. cf. *proventus* substantivum a proveniendi verbo deductum apud Plinium I 13, 1. provocare, qua voce Verg. georg. III 193 de equo cursibus auram eliciente usus est, a Plinio aliquoties per translationem usurpatur: II 7, 4 *senes illos provocare virtute*, ad Trai. 12 (7) *quae* (felicitas temporum) *bonam conscientiam civium tuorum ad usum indulgentiae tuae provocat et attollit*. sic apud posterioris quoque aetatis scriptores hoc verbum legitur, ut apud Quintil. X 1, 93 *Graecos elegia provocamus*. quassare VI 20, 6 *quassatis circumiacentibus tectis*, VIII 16, 5 *quassata atque etiam decussa monimenta*. rapere i. q. celeriter et raptim ducere, pan. 14, 3; cf. Verg. aen. VII 725. X 308. unde raptus i. q. immatura morte praereptus VI 6, 7. IX 9, 3 ut apud poetas saepissime. recalescere per translationem VII 9, 6 ut apud Ovid. rem. am. 629. recedere de regionibus ab aliquo loco remotis et poetas (Verg. aen. II 300. Catull. LXIV 43) et scriptores Augusto posteriores usurpasse constat, qua re apud Plinium saepe hoc verbum legitur, maxime in villarum descriptione, ut II 17, 21 *contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit*, V 6, 20. 38. cf. Quintil. II 17, 21. liberiorem tamen usum dicendi declarant haec Pliniana: III 6, 2 *venter recessit*. quod si olim legebatur II 17, 2 *villa decem et septem milibus passuum ab urbe secessit*, recte cum Henr. Keilio de Plinii epistulis emendandis I p. 16 legendum est *recessit* pro *secessit*, ut V 6, 2 de Tuscis suis Plinius scripsit *sed hi procul a mari recesserunt*. secedere enim, ut ait novissimus ille ac doctissimus Plinii editor, cuius editionem maiorem critico adparatu instructam et vehementer desideratam propediem emissum iri magnopere gaudeo, certo, ut videtur, illius aetatis more dicebantur homines urbem relinquentes maximeque ii qui otium ruris et locorum abditorum petebant. idem autem, quod secedere, seponendi verbum valet, seponi enim homines dicebantur qui eo tempore non solum ab aliorum conspectu tamquam odiosi in alia loca removebantur sed etiam sua sponte ad tempus se a certis negotiis seiungebant aliasque res curabant, unde Plinius pan. 57, 4 *sepositos* eos dixit qui, ut ait C. G. Schwarzius ad h. l., post exantlatos magistratus sponte secesserunt in sua praedia, ut privati ac veluti seiuncti ab urbanis negotiis viverent. propria autem significatione, ita ut idem valeret quod 'remotus', hoc vocabulum Propertius I 20, 24 et Martialis III 16, 2. spect. epigr. 3, 1 usurpaverant. recensere i. q. animo perlustrare IX 13, 8 *longum est omnia quae tunc hinc inde iacta sunt recensere*, ut Ovid. met. XIII 481 *deploratosque recensent Priamidas*. recidere VII 27, 4 et per translationem pan. 51, 2 *magnum recidere aliquid et amputare ea quae princeps tamquam necessaria reliquit*, quam-

quam illo panegyrici loco codices non *recidere*, quam lectionem I. Fr. Gronovius probavit, sed *reicere* praebent. recitare cuius verbi significatio apud poetas scriptoresque posterioris temporis ab usu vulgari abhorret — constat enim poetam vel oratorem aut in amicorum coetu aut publice scripta sua legisse, quam actionem vocabant recitationem — saepissime apud Plinium legitur I 13, 1. II 19, 1. III 18, 4. IV 7, 2. V 14, 6. VII 17, 2 al. cf. Hor. sat. I 4, 73. Ovid. trist. IV 10, 45. Iuven. III 8. recludere per translationem VI 31, 2 *principio iustitia gravitas comitas recluduntur.* pan. 81, 3; cf. Hor. od. I 24, 17. III 2, 21. epist. I 5, 16. Verg. georg. II 174. Tac. ann. VI 6. XVI 32. hist. II 77. recumbere i. q. mensae accumbere II 6, 3. IV 22, 4. IX 23, 4; cf. Hor. epist. I 5, 1. Phaedr. IV 24, 19. reddere i. q. referre, exprimere et quasi instaurare imaginem alicuius VII 27, 7 *gustus reddere.* 19, 9 *illam tantae feminae matrem rursus videor amittere, quam haec, ut reddit ac refert nobis, sic auferet secum.* sic poetae hoc verbum usurparunt ut Verg. aen. VI 768. Lucan. I 538. Stat. Ach. II 189. de similitudine stili Plinius hac voce usus est IX 22, 1 *veteres aemulatur exprimit reddit* ut Stat. silv. IV 7, 56. Quint. I 1, 6. Curt. III 2, 5. vicem reddere apud Plinium exstat II 9, 5 ut apud Ovid. am. I 6, 23. met. XIV 35. reformare, quod verbum ab Ovidio met. IX 399. XI 254 novatum propria significatione usurpatum est, Plinius per translationem de corruptis depravatisque moribus emendandis et corrigendis dixit pan. 53, 2 unde nomen ab eodem ductum est VIII 12, 1 *litterarum iam senescentium reductor ac reformator.* reformidare translato sensu V 16, 11 *crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat.* cf. Ovid. Pont. II 17, 13. III 4, 19. Verg. georg. II 369. refugere ea dicuntur quae procul sita sunt et veluti recedunt V 6, 38 ut apud Verg. aen. III 536. et Plinius alter quoque IV 12, 24 hoc verbo ita usus est. regnare i. q. libere vivere, facere quidquid vis VII 3, 2 ut apud Hor. ep. I 10, 8. Verg. ecl. I 70. Martial. X 61, 3. relevare I 24, 4 *r. caput* ut apud Ovid. met. IX 318 *e terra corpus r.*, Pont. III 3, 11 *membra in cubitum.* Lucan. VIII 267 *ut nequeam relevare caput.* relucere, qua voce Cic. in Arat. nat. deor. II 42, 107 et Livius XXII 17, 2 usi sunt, apud poetas fere legitur; apud Plinium vero VI 16, 13. VIII 8, 2. pan. 52, 2 exstat. reluctari, quam vocem per translationem usurpatam in dissertatione Numburgensi p. 30 sermoni scriptorum posteriorum perperam attribui, iam apud Ovidium met. XII 264 legitur eo quem dixi significatu. reptare de iis qui lento gradu spatiantur I 24, 4. IX 16, 2 ut apud Hor. epist. I 4, 4. Lucr. II 317. rescindere de vulneribus memorando renovatis VII 19, 9 ut apud Ovid. trist. III 11, 63. met. XII 543. Sen. Phoen. 164. reserare pan. 58, 4 *fastos r.* i. q. initium facere anni, ubi intellegendi sunt pontificum libri, in quibus, ut ait Laurentius Patarolus, cuius integras adnotationes C. G. Schwarzium notis suis constat inseruisse, acta annua sub consulibus scribi solebant; cf. Ovid. Pont. IV 4, 23 *longum reseraveris annum.* residere III 1, 7. IV 9, 18. V 5, 5. VII 27, 2. IX 13, 9 et translato sensu V 17, 2. VIII 1, 3. denique pro 'remanere' IV 22, 7 ut apud Verg. aen. V 702. resilire IV 11, 9 cf. Ovid. met. VI 373. resolvere per translationem pan. 66, 5; cf.

Verg. georg. I 302. aen. VI 29. resorbere IV 30, 7. VI 20, 9; cf. Verg. aen. XI 627. Hor. od. II 7, 15. resultare poetarum more (Verg. georg. IV 50. aen. V 150. VIII 305, quibus subiungo Stat. Theb. II 714. Martial. IX 69, 5) Plinius de locis sonum reddentibus dixit pan. 73, 1 *resultantia vocibus tecta,* ut Tac. ann. I 65. Plin. n. h. II 80, 82. XI 19, 21. resumere pro 'iterum sumere' Plinius ep. V 5, 12. VII 9, 6. pan. 61, 8. 66, 2. 79, 5 cum poetis (ut Ovid. met. IX 192. 525. am. II 1, 21) dixit. sed alii quoque hunc usum secuti sunt, ut Suet. Aug. 78. Cal. 30. Ner. 41. Vit. 15. Quintil. X 1, 20. 3, 4 Tac. hist. II 44. IV 76. rumpere moras V 10 (11), 2 ut apud Verg. georg. III 43. aen. IX 13. saltare i. q. cum gestu recitare IX 34, 2. pan. 54, 1 ut est apud Ovid. rem. am. 755. trist. V 7, 25. scribere i. q. lineis deformare, describere IX 39, 5; cf. Hor. ep. I 16, 4. Stat. silv. I 3, 9. III 1, 117. secare de fluviis interfluentibus V 6, 12 *medios ille* (Tiberis) *agros secat*, cf. Verg. aen. VII 717. sic apud Plin. n. h. V 9, 12. 27, 22. sectari, sequi locum i. q. locum adire voluptatis aut commodi alicuius fruendi causa I 22, 6. II 17, 28. VIII 20, 8. pan. 56, 4. cf. Verg. aen. V 629. Ovid. fast. VI 109. sequi deinde dicuntur ea quae facilem usum praebent, quae non resistunt VII 9, 11; cf. Verg. aen. VIII 432. georg. I 106. Ovid. met. III 299. sedere ea dicuntur quae firmiter haerent pan. 55, 10 *cuius laetissima facies . . in omnium civium ore oculis animo sedet,* II 3, 9 *altius in animo sedent quae pronuntiatio vultus habitus . . adfigit.* ita dixerunt poetae ut Ovid. her. II 76. Verg. aen. IV 15. V 418 eosque praeter Plinium secuti sunt Sen. epist. I 2, 2. V 5, 3. Quintil. decl. 305. 321. sine imperativus modus cum coniunctivo solo coniunctus II 10, 1 *sine per ora hominum ferantur*, cf. Hor. epist. I 17, 32. signare i. q. sigillo obsignare II 20, 8; cf. Ovid. am. II 15, 15. Martial. V 39, 2. IX 88, 7. X 70, 7. honore signare eo verbi usu dictum quo, ut ait Henr. Keilius de emendandis Plinii epistulis I p. 20, pro significandi vel indicandi verbo poetae et posterioris aetatis scriptores signare dixerunt. simplicem honoris significationem habet V 1, 11. pan. 23, 1; cf. Verg. aen. VI 780. Ovid. fast. V 474. sinuare II 17, 11 *cuius* (cellae) *in contrariis parietibus duo baptisteria velut eiecta sinuantur.* saepe apud poetas legitur hoc verbum. solari i. q. lenire, eleganter de remediis rerum malarum ac molestarum dictum VI 16, 17 *quam* (noctem) *tamen faces multae variaque lumina solabantur,* cf. Verg. georg. I 159. 292. aen. IX 490. Tac. ann. XVI 12. cum accusativo rei dolorem adferente iunctum hoc verbum exstat apud Plinium ep. VIII 11, 3 *non contigit tibi desiderium fratris amissi aut nepote eius aut nepte solari*, ut apud Verg. aen. I 239 *casum Troiae tristisque ruinas solabar.* solidare, quod verbum Verg. georg. I 179 novavit, a posterioris temporis scriptoribus usu receptum est: VIII 20, 4. Tac. ann. XV 43 al. sollicitare pro 'movere, inducere, persuadere' IV 13, 11. [Trai.] ad Trai. 42 (51) post Ovid. am. III 9, 34. fast. I 303 haec vox ab argenteae latinitatis scriptoribus ea quam diximus significatione usurpata est. sordere i. q. contemni, nihili pendi vel, ut C. G. Schwarzius explicavit, evilescere ac contemptui esse, pan. 52, 2; cf. Verg. ecl. II 44. Hor. epist. I 11, 4 et e scriptoribus posterioris temporis Quintil. VIII prooem. 26. Curt. X 30, 8. Tac. dial. 23. stare, quae vox pro 'manere, consistere, quiescere' apud Terentium solum et Augusteae aetatis poetas legitur, a Plinio demum eiusque aequalibus ea quam diximus significatione usurpatur V 12, 3. adde ad locos in A. Forcellini lexico adlatos Tac. ann.

XII 22. Agr. 16. suadere de rebus inanimis III 7, 6 *ita suadentibus annis*, IV 9, 10. 24, 3. IX 36, 3. innumera fere sunt exempla verborum ex poetarum consuetudine ita usurpatorum, ut res inanimae e. c. vel invitare (V 6, 15. pan. 49, 1) vel laetari (V 6, 2) vel sentire aliquid (II 17, 22. VIII 20, 4. IX 7, 4) vel imitari (V 6, 22) dicantur. etiam loci hominem possidere (I 16, 1. 3, 2) et partiri (I 3, 1) a Plinio dicuntur, ut apud Verg. aen. IV 285. VIII 20 dividendi verbum legitur. stridere IX 26, 4 *stridunt funes*. cf. Ovid. met. IX 171 et saepe apud poetas. strepere de rivis V 6, 40 ut apud Hor. od. IV 12, 4 de fluviis dictum est. sublabi ad Trai. 70 (75), 1 *quae sunt vetustate sublapsa, relaxentur in melius*, ut apud Verg. aen. XII 684 *aut annis solvit sublapsa vetustas*. sumere tempus i. q. tempus conviviis impendere, III 1, 9 *sumit aliquid de nocte et aestate*, IX 40, 2 *multum de nocte . . sumitur*, cf. Ter. Ad. V 4, 68. Hor. od. I 1, 20. surgere ea loca dicuntur quae vel exstant, eminent (Verg. aen. I 448) vel incipiunt altiora conspicere (Ovid. met. I 345): VI 16, 14. ad Trai. 49 (58), 1. suscipere propria significatione usurpatum V 6, 24 *aqua suscepta marmore*, ib. 36 *cavato lapide suscipitur*, cf. Verg. aen. VI 248. tum pro 'suffulcire' ad Trai. 39 (48), 2 *fulturae ac substructiones quibus* (theatrum) *subinde suscipitur*, cf. Verg. aen. XI 806 quem posterioris temporis scriptores secuti sunt, ut Sen. ben. VI 15, 7. epist. XIV 2, 25. Pallad. IX 2. suspendere II 20, 3 pro 'incertum reddere', qua significatione hoc verbum post Ovidium (met. VII 308) in usum scriptorum argenteae latinitatis translatum est, cf. Suet. Tib. 24. Curt. VII 4, 14. Quintil. IX 2, 22. suspicere de rebus quae ex inferiore loco adspiciuntur V 6, 38 (cubiculum) *alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suspicit despicit*, quae scriptura olim improbata ex editione principe et Aldina ab Henr. Keilio de Plinii epistulis emendandis I p. 22 bene restituta est. sic poetae locuti sunt ut Lucan. VI 477 *nubes suspexit Olympus*, Ovid. met. II 840 *quaeque tuam matrem tellus a parte sinistra suspicit*. temptare VII 4, 8 *plura metra . . in itinere temptavi*, cf. Hor. od. I 28, 5. III 4, 31. terere pro 'frequentare, frequenter adire' I 24, 4 *unam semitam terere*, pan. 65, 3; cf. Hor. epod. IV 14. Verg. georg. I 380. Ovid. ars am. I 52. Martial. II 11, 2. III 20, 10 qui hoc verbum de frequenti obambulatione usurpaverunt. sed alium quoque Plinii locum qui est pan. 50, 3 *nec iam clarissimorum virorum receptacula habitatore servo teruntur* in medium proferre potes, nisi Io. Arnzenii interpretationem secutus hoc loco terendi verbum a Plinio propria significatione usurpatum esse mavis, cum teri (ut conteri III 1, 11. VII 5, 2) ea dicantur quae corrumpuntur et absumuntur. torpere translato sensu idem valet quod otio languere. sic Plinius pan. 18, 3 de studiis, Verg. georg. I 124 de regnis et Livius I 41, 3. VI 23, 6 de senis consiliis hoc verbum usurpaverunt. truncare IX 39, 4 pro 'spoliare'. qua voce post Ovidium met. VIII 647 scriptores Plinio aequales usi sunt. tueri pro 'conspicere' II 11, 7; cf. Verg. IV 362. VIII 265 al. vacat i. q. tempus, otium est, tempus vacat I 10, 11. 22, 11. III 18, 4. VIII 15, 1. IX 16, 1 *nobis venari non vacat, nec libet*. cf. Verg. aen. I 373. Ovid. trist. II 1, 216. vanescere I 8, 15. VI 16, 6 qua voce in primis Ovidius usus est. velare 1) i. q. tegere VI 24, 3 ut apud Verg. aen. III 545. V 72; 2) i. q. celare, abscondere pan. 56, 1. Sen. Hipp. 721. vendere poenas i. q. pecunia corrumpi ad puniendum II 11, 5. sic vendere apud Verg. aen. VI 621. Iuven. X 77 legitur. vigilari noctes dicuntur VII 27, 6 ut apud Ovid. her. XII 169 *noctes vigilantur amarae*.

Iam enumeratis eis verbis quae Plinius poetarum more videtur usurpasse seiunctis orationis partibus sequuntur substantiva adiectiva quorum enumerationem propter spatii angustias in aliud tempus differam[17].

[17]) Legendum est pag. 2, lin. 27 „veri simile" pro „versi simile".

Schulnachrichten.

A. Lehrverfassung.

In der Lehrverfassung der Anstalt sind in diesem Jahre keine wesentliche Veränderungen vorgekommen, so daß in dieser Hinsicht auf das vorjährige Programm verwiesen werden darf. Es folgt hier nur ein Bericht über das auf den oberen Klassen im Laufe des Jahres Gelesene und über die daselbst im Deutschen und Lateinischen bearbeiteten Thematen, sowie Angabe der Thematen und mathematischen Aufgaben, die zu den beiden Abiturienten-Prüfungen gestellt worden sind.

I. Bericht über die Lectüre.

A. Im Deutschen.

1. Auf Unter-Secunda: Schiller's Maria Stuart und Jungfrau von Orleans.
2. Auf Ober-Secunda: Göthe's Egmont und Götz von Berlichingen, Schiller's Macbeth und Lessing's Emilia Galotti.
3. Auf Unter-Prima: Göthe's Iphigenie und Abschnitte aus dem Nibelungenliede (Lesebuch von Hopf und Paulsiek).
4. Auf Ober-Prima: Proben aus Walther von der Vogelweide. Cursorisch: Abschnitte aus dem Nibelungenliede (Beides aus dem gen. Lesebuche).

B. Im Lateinischen.

1. Auf Unter-Secunda: S. Cicero p. Archia poeta, in Catilin. I. III. Sallust. Catil. Virgil. Aen. III.
   W. Cicero p. Roscio Amer. und de senectute. Virg. Aen. I.